C. CRISPI SALLVSTII

OPERA

EXCEPTIS FRAGMENTIS

OMNIA

EDIDIT

ET

PROOEMIO QVADRIPARTITO, ARGVMENTISQVE CAPITVM PRAEMISSIS, EAM, QVAE IN SCHOLIS LEGI SOLET, PARTEM

NOTIS ILLVSTRAVIT

M. HENR. KVNHARDT

GYMN. LVB. PROF.

PARS POSTERIOR

CONTINENS BELLVM IVGVRTHINVM.

LIPSIAE

IMPENSIS JOA. AMBR. BARTHII

CIↃIↃCCCXII.

CAII CRISPI SALLVSTII

BELLVM IVGVRTHINVM.

Belli Ivgvrthini expositio.

Singulis hiſtoriae partibus Noſter univerſa quaedam praemittere ſolet, quae nec prorſus ab ipſo libri cujusque fine aliena, nec vero etiam neceſſaria mihi videntur. Haec autem tum ad omne genus humanum, tum ad corruptos populi Romani mores, denique ad ipſum libri auctorem, ejusque conſilium pertinent. Mihi quidem, niſi omnis me pulchri ſenſus deficit, et juſtos in hoc exordio limites transgreſſus, et plura, quae minus cum primario praefationis fine cohaerent, eidem intexuiſſe videtur; quod eo magis reprehendendum cenſeo, quo ſimilior quibusdam in locis huic praefationi eſt illa, quam bello Catilinario dixit. Pleraque tamen ad probandum auctoris conſilium pertinere videntur, quod ex notionum ſerie, ſingulis capitibus a nobis praemiſſa, patebit.

CAPVT I.

[Vanae ſunt hominum de imbecillitate virium querelae; humana enim natura nihil neque per ſe nobilius, nec

ad fortunae vim infringendam efficacius eſt, dummodo ſuis viribus recte utantur mortales.]

Falſo queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla atque aevi brevis forte potius, quam virtute regatur. Nam contra, reputando, neque majus aliud, neque praeſtabilius invenias, magisque naturae induſtriam hominum, quam vim, aut tempus deeſſe. Sed dux atque imperator vitae mortalium animus eſt: qui ubi ad gloriam virtutis via graſſatur, abunde pollens potensque et clarus eſt, neque fortunae eget: quippe probitatem, induſtriam, alias artis bonas neque dare, neque eripere poteſt. Sin

Cap. I. *Quod imbellica, atque aevi brevis forte potius, quam virtute regatur.* Vox *imbecilla* ad naturam referenda eſt, non ad ſextum caſum ſequentem, quia *fors* (h. e. fortuitus rerum atque eventuum nexus) imbecilla videri nequit iis, quorum querelam auctor refutat. Omiſſum eſt verbum *ſit*.

reputando. Jungenda eſt haec vox verbo ſequenti *invenias*, ut ſenſus ſit: contra, ſiquidem tecum rem conſiderare, naturamque humanam penitius perveſtigare volueris, invenias.

induſtriam hominum — diligentem ingenii culturam.

quam vim aut tempus. Opponuntur *vis* et *tempus imbecillitati* et vitae *brevitati*, quas a plerisque accuſari dixerat.

Sed dux atque imperator. Ducem atque imperatorem propterea vocat animum, quod libertatem abſolutam ei tribuit. Lectiſſimis autem hisce vocibus eorum, qui fortuna vitam regi queruntur, ſententiam refutat. Seneca *rectorem regemque* animum adpellat. Vterque Graecorum philoſophorum loquendi rationem ſequutus eſt, a quibus animus adfectuum gubernator, τὸ ἡγεμονικόν dictus eſt.

artis bonas virtutes animi bonis diſciplinis eruditi artium nomine ſignificantur.

artis bonas neque dare, neque eripere poteſt. Ad Stoi-

captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptatis corporis peſſum datus eſt: pernicioſa lubidine paullisper uſus; ubi per ſecordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accuſatur: ſuam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quod ſi hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena ac nihil profutura, multumque etiam periculoſa

corum ſententiam hic locus accedit, quam paulo durius dictam invenimus apud Tullium: „Virtutem nemo unquam Deo acceptam retulit.“ Quatenus vera ſit, a docentibus coram exponatur. Plurimi olim codices habebant: *neque dare, neque eripere* cuiquam *poteſt*. Interpoſitam hanc vocem, ſimilium locorum paucorumque Mſſ. auctoritati nimium forſan concedens, *Cortius* delevit.

peſſum datus eſt. Vocem *peſſum* Cortius pro Supino antiqui verbi *petior* (h. e. *ſubigor, pedibus calcor*), Schellerus pro nomine, *fundum* denotante, habet, quod cum veri ſimilitudine colligitur ex hoc Plauti loco: Rud. „Nunc eam cum navi ſcilicet abiviſſe peſſum in altum.“

pernicioſa — uſus. Graecorum hic loquendi uſum imitatur Noſter, Nominativum ponens abſolutum, ut ſenſus ſit: et poſtquam pernicioſa libidine p. uſus eſt.

tempus non aetatem, ſive omnem hominum vitam, ſed rerum gerendarum opportunitatem ſignificare videtur. In quibusdam loc. a Cort. citat. addita invenitur vox *aetas*, quae gloſſae ſuſpicionem habet

defluxere. Defluere dicuntur res de ſuperiori loco labentes; figurato autem loquendi modo ad res praetereuntes atque evaneſcentes ſignificandas hisce verbis utuntur Latini: *fluere, defluere, decurrere.*

ſuam — transferunt. Ipſa negotia difficultatem nimiam habere cauſantur, ſuam vero ſecordiam non accuſant.

aliena ac nihil profutura. Iterum Stoicae philoſophiae conſultum haec verba produnt. Illius enim ſectatoribus omnia fortunae bona, quae τὰ ἀγ' ἐφ' ἡμῖν adpellabant, ſapientis viri voto indigna videbantur. Verum *futilia* quoque,

petunt; neque regerentur magis, quam regerent caſus, et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.

CAPVT II.

[Duplex autem eſt virium humanarum genus; animae ſcilicet atque corporis. Et illa quidem immortalis eſt, hoc morti obnoxium; quo fit, ut ingenii facinora, ſiquidem egregia ſint, aeternam gloriam comparent, contra, quae ad corpus ſolummodo ſpectant, vana merito habeantur. Reprehendendi ergo ſunt, qui corpori ſervire, quam ingenio virtuteque excellere malunt.]

Nam uti genus hominum compoſitum ex anima et corpore: ita res cunctae ſtudiaque omnia noſtra corporis alia, alia animi naturam ſequun-

ad primarium hominis finem non pertinentia, hoc vocabulo ſignificantur.

neque regerentur etc. Haec verba, ſicut nunc ſunt, a plerisque antecedentibus ſubjungi, concluſionemque continere putantur, quia τὸ *et* referendum eſt ad particulam *neque*. Attamen ego ſcribentium mendam in textum irrepſiſſe, et omiſſa conjunctione altera, quae propter ſequens *eo* facile adjici potuit, ita legendum ſuſpicor: *neque regerentur magis, quam regerent caſus: eo magnitudinis* etc. ut apodoſis voce *eo* incipiat.

eo magnitudinis ad eum magnitudinis gradum.

ubi in quo collocati. Nihil ſane eſt, quod hisce in verbis legentem offendere poſſit, nec opus videtur ulla particulae *ubi* emendatione, pro qua *uti* legere maluerunt nonnulli.

Cap. II. *Res cunctae ſtudiaque omnia noſtra corporis alia, alia animi naturam ſequuntur.* — Diſtinguit h. l. Salluſtius *res*, quae non ſitae ſunt in hominum poteſtate, a *ſtudiis*, quae ab eorum arbitrio pendent. — *Sequi* autem naturam animi dicitur id, quod ad indolem ejus adcommodatum eſt, ſive ad excolendum animum pertinet. — Denique nullam inter *animum* et *animam* a Noſtro differentiam ſtatui ex hoc loco intelligitur.

tur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis, alia hujuscemodi omnia brevi dilabuntur; at ingenii egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. Poſtremo corporis et fortunae bonorum, ut initium, finis eſt: omnia orta occidunt et aucta ſeneſcunt; animus incorruptus, aeternus, rector humani generis,

Igitur etc. Hac voce utuntur Latini, cum ad illuſtrandam uberiusque tractandam rem ſeſe accingunt. Ergo verba: *igitur praeclara facies* etc. nihil aliud ſibi volunt, quam: Quod igitur ad praeclaram faciem, magnas divitias etc. attinet.

Facies non oris tantum lineamenta, ſed omnem externum corporis habitum atque formam ſignificat.

at ingenii egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. Quae a plerisque ſcriptoribus *opera* vel *ingenii*, vel *artis* vocantur, qualia ſunt ſcripta praeclara, poëmata, tabulae pictae, ſigna atque ſimilia, iis facinorum nomen h. l. tribuit. Confer. locum *Lactantii* VII. 11., qui *animi* immortalitatem ex immortali, quam *opera* ejus nanciſcantur, gloria colligere audet. — Noſter autem locus pro ratiocinio non eſt habendus.

Vt initium, finis eſt: Non *comparatur* initio finis, ſed utrumque (ortus nempe et interitus) *tribuitur* corporis fortunaeque bonis; ac ſi diceres: et oriuntur et occidunt. Prioris autem particulae (*ut*), cui *τὸ ſic* opponi ſolet, *cauſalis* interdum eſt ſignificatio. Itaque *Cortius* ſic interpretatur: „quia initium, etiam finis eſt.“

omnia — ſeneſcunt. Hisce verbis priorem explanat ſententiam. Intell. Omnia, quae orta ſunt, poſteaquam, incremento capto, ad ſummum quodque faſtigium pervenerunt, dilabuntur atque intereunt.

animus incorruptus. Plerumque Salluſtius, gravitatis brevitatisque dicendi amans, uſitatas illas, quibus ſingula orationis membra inter ſe conjungi ſolent particulas, quales ſunt *autem*, *ſic*, *tum* etc. omittit, quod ſemel hic doceantur juvenes. — *Incorruptus* autem animus h. l. non propterea, quod *integer*, *ſcelerisque purus*, ſed quod morti obnoxius non ſit, adpellatur.

agit atque habet cuncta, neque ipſe habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda eſt, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in naturâ mortalium eſt, incultu atque ſecordia torpeſcere ſinunt: cum praeſertim tam multae variaeque ſint artes animi, quibus ſumma claritudo paratur.

CAPVT III.

[Nemini tamen ſuadendum videtur, ut hisce temporibus ad remp. adminiſtrandam accedat.]

Verum ex his magiſtratus et imperia, poſtremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi

agit atque habet cuncta. Habere dicimur ea, quae in noſtra ſunt poteſtate, ut pro lubitu arbitrioque iis uti poſſimus. Sic Ovid. I. Metam. 197:

„Cum mihi, qui fulmen, qui
vos *habeo*que, *rego*que.“

Propterea homines ipſi *haberi* dicuntur, ſi, libertate arbitrii minus utentes, vel voluptatibus, vel omnino rebus externis reſiſtere non valent, neque amplius imperium in eas exercent. Et Ariſtippus quondam: ἔχω .. Λαΐδα, inquit, οὐκ ἔχομαι — habeo Laidem, non habeor; i. e. conſuetudine Laidis fruor, non autem pro ejus lubitu, ſed mea ſponte.

„*Quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium eſt.*“ — Similiter Cicero, ſed brevius: quo nihil eſt praeſtantius, neque divinius.

incultu h. e. neglectu culturae. Sic *injuſſu*, *intactu*, *conſultu* dicitur. Et Plautus: Ego ſum *inuſu* factus nimio nequior. — Animi autem et agri cultura comparantur a Quintil. II. 20. Cfr. Epictet. Cap. LXIII.

Cap. III. *Ex his* — ſc. variis animi artibus.

hac tempeſtate cupiunda videntur: quoniam neque virtuti honos datur; neque illi, quibus per fraudem jus fuit, tuti, aut eo magis honeſti ſunt. Nam vi quidem regere patriam, aut parentes, quamquam et poſſis, et delicta corrigas, tamen importunum eſt: cum praeſertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, alìaque hoſtilia portendant; Fruſtra autem niti, neque

Hac tempeſtate. — Ipſi enim Stoici, quos potiſſimum ſequi videtur Noſter, non omni tempore a publicorum munerum adminiſtratione ſapientibus viris abſtinendum arbitrati ſunt. Nam Epicurus: non accedat, inquit, ad remp. ſapiens, *niſi ſi quid intervenerit.*

quibus per fraudem jus fuit. Miretur forſan juvenis, legens, per *fraudem* jus adquiri potuiſſe. Sed *juris* eadem hic eſt, quae poteſtatis atque honoris, notio. Eodem ſenſu, ut vulgare proverbium adferam, penes *uſum loquendi jus* eſſe dicitur atque poteſtas.

aut eo magis honeſti ſunt. *Honeſti* plerumque dicuntur homines *probi*, quoniam virtus ſola verum nobis tribuit *honorem;* verum h. l. *honoratos* intelligi putant plerique, et hanc interpretationem exemplis probabilem reddunt. Sic Cicero: Nos, inquit, in hac ſententia ſumus, ut te cupiamus in libera rep. magnum et *honeſtum* eſſe. Negari tamen nequit, alteram quoque ſignificationem a loci ſententia non eſſe alienam.

parentes. Si eos, quibus nati ſumus, intellexiſſet, malo oppoſita eſſet h. l. patria parentibus. Igitur a verbo parēre derivanda eſt vox *parentes*, ut *patria Romam ipſam, parentes* reliquos Romani imperii cives ac ſubditos ſignificet.

Cum — portendant. Importunam, h. e. tam ipſi reip., quam imperanti, incommodam eſſe violentiam probat, eamque *caedem, fugam*, et reliqua mala non aliter ſequi, ac ſi portento quodam ſint indicata.

Fruſtra niti ſc. ut perverſi civium mores corrigantur. Supervacaneum hoc emendandi ſtudium diſſuadet etiam Seneca de otio Sap. Cap. XXX. „*Non nitetur*, inquit, *ſapiens in ſupervacuum, nec ſe nihil profuturus impendet, ſi parum habebit auctoritatis et virium.*

aliud fatigando, nisi odium, quaerere, extremae dementiae est: nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

CAPVT IV.

[Res a majoribus gestas memoriae tradere se velle profitetur, idque institutum nec civibus inutile, nec infra suam dignitatem fore sibi persuadet. Illos enim, majoribus admodum dissimiles, rerum gestarum interna dignitate ad virtutis studium excitari posse. Sibi vero in tam corrupta civitate otium magis, quam honores, optabile videri. Refutat etiam obtrectatorum, si qui forte exsistant, convicia.]

Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cujus de virtute, quia multi dixere, praetereundum puto; simul, ne per insolentiam quis existumet, memet, studium laudando, extollere. Atque ego credo fore, qui,

odium quaerere — sibi parere, contrahere.

Decus — omnem vitae honestae ornatum atque honorem significat.

Gratificari — usitatius foret *gratificandi*. Sic infra Cap. LXXXIX. „majora et aspera *aggredi* tempus“ pro, *aggrediendi* dixit. Sed alii centies eodem modo. Cfr. Cortius ad loc. citat. *Gratificari* est nostrum *aufopfern* — devovere.

Cap. IV. *Memoria* h. l. idem est, quod *narratio*, *descriptio*, cum ingenii negotium dicatur.

Virtus est genuina, seu peculiaris rei praestantia.

praetereundum puto — sc. historiae praestantiam pluribus describere.

Atque. Haec particula, qua Latini objectioni saepe occur-

quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant: certe, quibus maxuma induſtria videtur, ſalutare plebem, et conviviis gratiam quaerere. Qui ſi reputaverint, et quibus ego temporibus magiſtratus adeptus ſum, et quales viri idem adſequi nequiverint, et poſtea quae genera hominum in ſenatum pervenerint; profecto exiſtumabunt, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mutaviſſe, majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis reipublicae venturum. Nam ſaepe audivi, Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civita-

runt, eandem, quam *tametſi, quamvis, attamen*, habet notionem.

Certe quibus etc. *ii* certe, quibus etc. Peſſimum ac leviſſimum genus hominum hisce verbis denotat, ſuumque ſimul iſtius levitatis contemtum declarat. Omnem vero civitatem una quaſi contagio corruperat, nec meritis virtutibusque, ſed blanditiis, largitionibus, ſalutando, epulisque gratiam ſibi ac honores quaerebant.

adeptus ſum et quales — nequiverint. Non modo propter antecedens verbum, quod plerumque Conjunctiv. ſequitur, ſed propter membrorum etiam ſimilitudinem *adeptus ſim* ſcribere debuiſſe videtur. Sed placet ſibi Noſter in liberiore quadam conſtructione; neque tamen imitanda eſt haec licentia.

magis merito, quam ignavia, h. l. judicio arbitratuque magis, et ſerio perpenſa reip. conditione (*aus guten Gründen*), quam laboris taedio.

judicium — animi propoſitum, ſententiam, conſilium. Antea magiſtratus ac honores quaeſiverat, nunc otium praeferebat — non inertia ſocordiaque, ſed quod otioſum ſe magis profuturum civibus ſperabat.

praeterea civitatis etc. Scribere debuiſſet, ſicuti fecit aliis in locis: *multos* — ſive: *alios* praeterea.

tis noſtrae praeclaros viros ſolitos ita dicere, CVM MAIORVM IMAGINES INTVERENTVR, VEHEMENTISSVME SIBI ANIMVM AD VIRTVTEM ACCENDI. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere; ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra, quis eſt omnium his moribus, quin

Imagines majorum. Quas in atriis collocare ſolebant, ut et majorum memoriam celebrarent, et generis nobilitatem conſpicuam redderent. Hinc fumoſae quorundam imagines propter vetuſtatem a poëtis dictae ſunt. Nonnulli autem Romanorum iſta generis antiquitate, ſicut recentiſſimi aevi homines gloriari, et novos cives, eos nempe, qui vel peregrinis, vel obſcuris parentibus nati eſſent, prae ſe contemnere ſolebant. Hinc Seneca: non facit nobilem, inquit, atrium plenum fumoſis imaginibus. Multos vero etiam majorum recordatio ad egregia facinora excitabat. Eundemque effectum hanc ſuam rerum geſtarum narrationem habituram eſſe confidit Salluſtius.

non ceram — illam ſcil. e qua majorum imagines erant fictae.

Scilicet — *habere.* Propter Infinitivum legentes putabunt, Fabiorum Scipiorumque oratorem continuari, donec ad periodi medium pervenerint, ubi de *egregiis* viris ſermo eſt. Salluſtius enim, interpretans illorum dicta, eos quaſi loquentes inducit. Supple noſtrum: „*dachten ſie.*“

Egregiis viris in pectore; uſitata veteribus conſtructio. Nam ſaepiſſime Dativo pro ſecundo caſu utuntur. E. g. *Illis* terror, *Romanis* animus crevit. Liv. XL, 32. Quantam autem vim in hominum animos exerceat iſta magnorum virorum recordatio, docet Caeſaris exemplum, ingemiſcentis, cum Alexandri imaginem adſpiceret. V. Sueton. Caeſ. Cap. VI.

famam atque gloriam — ſc. majorum.

his moribus — hac morum pravitate; hisce temporibus, ubi tanta eſt morum corruptela. Nam pronomini demonſtrativo hanc ſaepiſſime vim

divitiis et ſumtibus, non probitate neque induſtria cum majoribus ſuis contendat? etiam homines novi, qui antea per virtutem ſoliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius (quam bonis artibus) ad imperia et honores nituntur. Proinde quaſi praetura et conſulatus, atque alia omnia hujuscemodi per ſe ipſa clara, magnifica ſint; ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ſuſtinent, virtus eſt. Verum ego liberius altiusque proceſſi dum me civitatis morum piget taedetque. Nunc ad inceptum redeo.

tribuunt, ut praeſentem rerum conditionem ſignificet. Interdum adeo abſolute ponunt. Sic epiſtola quaedam Ciceronis hisce incipit verbis: Quomodo *haec* ſe habeant — i. e, qualis ſit hodierna rerum — reipublicae — conditio etc.

homines novi. Καλοῦσι δ' ὅτω, inquit Appianus, τὸς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' ὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. *Silius* vero *hominem novum* ita deſcribit: *Atque illi* ſine luce *genus*, ſurdumque *parentum* Nomen.

Proinde quaſi etc. non aliter ac ſi ſummi in rep. honores, quorum praecipui ſunt conſulatus atque praetura, *per ſe* poſſint hominem ornare, quamvis ipſe virtute bonisque artibus, quibus ſolis iſtorum munerum dignitas atque majeſtas conſpicua redditur, prorſus careat.

ſuſtinent — adminiſtrant. Suſtineri autem illi magiſtratus propterea dicuntur, quod *oneri* ferendo poſſunt comparari.

Perinde — ut eorum virtus eſt. H. e. quo major virorum munera illa ſuſtinentium virtus, eo clariora ſunt munera ipſa.

Verum — proceſſi. Ipſe jam fatetur, quod in exordio comment. nos quidem reprehendendum eſſe cenſuimus.

dum me civitatis morum pi. get — h. e. quia me piget. Tam vehementer enim oderat civitatis corruptos degeneratosque mores, ut juſto longiorem interdum eorum mentionem faceret.

redeo. Redire nonnunquam

CAPVT V.

[Belli, quod ſcripturus ſit, naturam magnitudinemque paucis lineis adumbrat; tum, quae ad cognoſcendas ejusdem cauſas atque progreſſus praemittenda ſunt, exponit.]

Bellum ſcripturus ſum, quod populus Romanus cum Iugurtha, rege Numidarum geſſit: primum quia magnum et atrox, variaque victoria fuit; dein quia tum primum ſuperbiae nobilitatis obviam itum eſt. Quae contentio divina et humana cuncta permiſcuit, eoque vecordiae proceſſit, uti ſtudiis civilibus bellum atque vaſtitas Italiae

dicitur ad rem, qui, quod *nondum inceperat*, aggreditur, Et omnino, Donato teſte, ſyllaba *re* in quibusdam verbis abundat; ut *renuntio* ſaepiſſime nihil aliud ſit, quam *nuntio*.

Cap. V. *Varia victoria*, Romanis modo vincentibus, modo victis.

ſuperbiae nobilitatis obviam itum eſt. Nam et tribuni plebis, et Marius, aliique, patriciorum potentiam fregere. *Obviam ire* h. l. idem eſt, quod *reſiſtere*, *frangere*, *deminuere* — *Einhalt thun*. Sic Iugurtha Cap. XXIII. dicit: ſe Adherbalis ſceleri obviam iviſſe, ubi eſt noſtrum: zuvorgekommen ſeyn.

quae contentio — Contentionis autem notio latet in verbo antecedenti.

divina et humana cuncta permiſcuit — idem quod Catil. XI, 7. ſacra profanaque omnia polluere. His enim verbis jurium, tam divinorum quam humanorum, violationem, totiusque reipublicae perniciosam conturbationem deſcribere ſolent. Violantur autem Deorum *jura* templorum direptione — ſacris neglectis — pietatisque legibus contemtis. Quare Florus in ſimili rerum perturbatarum deſcriptione Cap. V. n. 7. „tum quidem, inquit, domus, templa et arae, humana omnia, atque divina jura violata ſunt.

ſtudiis civilibus — factionibus civium ſeditioſorum.

finem faceret. Sed priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam; quo ad cognoscendum omnia illustria magis, magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem nominis Romani, Italiae opes maxume adtriverat; Masinissa rex Numidarum, in amicitia receptus a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa et praeclara rei

omnia illustria magis, mag. in aperto sint — in ein helleres Licht gesetzt werde. Nam vox *illustris* h. l. non habet gloriae laudisque significationem. Ne quis credat posteriora verba ab interprete aliquo adjecta esse, atque superflua, repeto Taciti locum huic simillimum, (a *Cortio* citatum) qui Agric. C. I. „apud priores, inquit, agere memoratu digna *pronum*, magisque *in aperto* erat."

post magnitudinem nom. Rom. Cortius et alii haec ita intelligunt, ut sit: postquam ad altiorem magnitudinis virtutisque bellicae gradum provecta erat resp. Aliter Tellerus in indice Latin. dicens: postquam *eam* attriverat, etiam maxume Italiae opes attriverat.

Masiniſſa, Massylorum, gentis Africanae, rex, Carthagine educatus, Micipsae pater, avus Jugurthae. De quo — longe maximo omnium aetatis suae regum — scripsit Livius XXIX. 29. Cfr. Iustin. XXXVIII. 6,

in amicitia receptus. Hanc vetustissimorum codd. lectionem recepit atque tuetur Cortius. Plura etenim exempla ex optimorum scriptorum libris ad eandem probandam allegavit; qualia sunt: *in senatu* perduxit, et in *aede* Concordiae venire jubet. Catil. XLVI. 6. et: Quinam Cinaedus ille in *conspectu meo* audet venire. Saepius tamen suspicor lineolam — qua τὸ *u* in *um* mutari poterat, a librariis omissam esse.

Cui postea Africano cognomen ex virtute fuit. De quo Horatius Od. IV. 8. 17: Non incendia Carthaginis impiae — Ejus qui domita *nomen* ab Africa — *lucratus* rediit etc. Memorabile est, hunc primum fuisse, qui a *terra*, non ab *urbe* devicta nomen retulerit.

militaris facinora fecerat: ob quae, victis Carthaginienſibus et capto Syphace, cuius in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus quascumque urbis et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Maſiniſſae bona atque honeſta nobis permanſit: imperii vitaeque eius finis idem fuit. Dein Micipſa filius regnum ſolus obtinuit, Maſtanabale

Syphace — rege Maſſaeſylorum, in Numidia verſus occidentem habitantium. Contra hunc Gala, Maſiniſſae pater, facta cum Carthaginienſibus ſocietate, filium miſerat, qui Syphacem, Romanorum ſocium, atroci proelio vicit, et poſtea cum eodem varia fortuna bellavit. Hujus fata narrat Livius XXIV. Cap. 48.

bona atque honeſta. Si quis praeceptorum de hac Rom. cum Maſin., Numidarum rege, amicitia uberius diſſerere cupit, conſulat Livii lib. XXV. Cap. XXXV. *bona* autem dicitur, quod fidelis, *honeſta*, quod honorata eſſet.

permanſit — ſemper fuit — nunquam interrupta eſt.

imperii vitaeque ejus finis idem fuit. Non ita abſurda mihi videtur eorum interpretatio, qui *usque ad mortem eum imperium retinuiſſe* intelligunt, quamvis Cortius, graviter reprehenſis illis, doctiorem adjungat verborum explicationem. „Nam qui vitam amittit, inquit, eum inter vivos imperium tenere nemo facile credit. Sed hic ſenſus eſt: imperium in donatas urbes atque agros non translatum eſſe ad filios, ſed cum vita Maſiniſſae deſiiſſe.“ In quo mihi quidem falli videtur. — Si enim Maſiniſſa vel victus ab aliquo hoſte regno expulſus, vel a Romanis iterum eodem privatus fuiſſet, imperii vitaeque non eundem habuiſſet finem. Forſan autem expuliſſent eum Romani, ſi ejus amicitia „minus bona“ ac honeſta fuiſſet. Salluſtius igitur, perpetua, usque ad mortem, dominatione, tanquam fidelis amicitiae praemio, Maſiniſſam gaviſum eſſe, teſtatur.

Micipſa ſolus. Numeroſam enim e concubinis ſubolem reliquerat Maſiniſſa, tres tantum legitimos ex conjuge filios — *Micipſam*, *Guluſſam*, *Maſtanabalem.* „De XL regis filiis vid. Eutrop. IV. Cap. 5. n. 5. Cfr. Appian. Pun. pag. 63.“ Cort.

et Guluſſa fratribus morbo absumtis. Is Adherbalem et Hiempſalem ex ſeſe genuit; Iugurthamque, Maſtanabalis fratris filium, quem Maſiniſſa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos ſuos, domi habuit.

CAPVT VI.

[Iugurtha ſtrenuis adſiduisque corporis exercitationibus ad belli moleſtias perferendas, et quaevis negotia gerenda idoneum ſe reddit, ac primum et univerſi populi gratiam et Micipſae amorem ſibi conciliat; mox tamen huic ſuſpicionem ciet.]

Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, ſed multo maxume ingenio validus, non ſe luxu, neque inertiae corrumpendum dedit; ſed, uti mos gentis illius eſt, equitare, iaculari, curſu cum aequalibus certare:

quem Maſ. quod etc. ſc. Iugurtham. Nam ad Manaſtabalem quominus referatur, et hiſtoriae veritas et verborum ordo impedit. Manaſtabalem diſertis verbis legitimum Maſiniſſae filium fuiſſe adfirmat Appianus.

eodem cultu habere — eodem modo educare, ac eundem victum cultumque praebere.

Cap. VI. *Vbi primum* — Simulac — poſteaquam.

multo maxume ingenio validus, ganz vorzüglich ſtark am Geiſte. Sic enim Latini ſaepiſſime ſuperlativo utuntur. Cfr. Catil. XXXVI. „imperium populi R. *multo maxume* miſerabile viſum.

gentis illius. Numidas enim iſtiusmodi certamina amaſſe, praeter Livium et Appianum, docent Cic. in orat. pro rege Dejotaro Cap. X. et Herod. VII. 9. De artibus autem, quibus reliquos anteiſſe dicitur Iugurtha, conf. Terent. A. I. Sc. I. v. 35.

et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio laetus fuerat, existumans virtutem Iugurthae regno suo gloriae fore: tamen, postquam hominem adolescentem, exacta sua aetate, parvis liberis, magis magisque crescere intellegit, vehementer negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat natura mortalium, avimor sit, eamque nihili ducere videatur.

gloria anteiret, laude celeritatis, agilitatisque praestaret. „Dubito valde, inquit Cortius, an vox *gloria*, quae a recenti manu adpicta erat, a Sallustio sit perscripta.“ Nec injuria mihi quidem dubitare videtur. Nam a) vox gloria nimis splendida h. l. esset; b) hiatus vehementer auribus displicet: glo*ria an*teiret; c) verisimile est, adjecta voce gloria sciolum quendam quartum, qui antecedit, casum „*omnis*“ explicare, seu a Nominativo distinguere voluisse.

plurimum facere, minumum ipse de se loqui. Certissimum profecto verae magnitudinis indicium. Pauca enim de se loquentis, ac plurimum facientis animus ipsis rebus tam vehementer occupatus est, ut gloriolae inde nascentis immemetuebat suis liberis a crescente adoptati filii magnitudine, non ignorans mortalium indolem, atque innatam imperandi cupiditatem.

exacta sua aetate, parvis liberis, h. e. quum ipse jam grandaevus, liberorum vero aetas tenera esset — se jam grandaevo, teneris adhuc liberis.

negotio — nihil aliud est quam *re* — *eo*. Sicut enim, cum de hominibus sermo est, pronominum loco *hominem*, seu *virum*, ita, ubi de rebus — difficilibus praesertim ac molestis — loquuntur, *negotium* (πράγμα) dicunt.

Terrebat natura mortalium —

da imperii et praeceps ad explendam animi cupidinem: praeterea opportunitas ſuaeque et liberorum aetatis, quae etiam mediocris viros ſpe praedae transvorſos agit: ad hoc ſtudia Numidarum in Iugurtham accenſa; ex quibus, ſi talem virum interfeciſſet, ne qua ſeditio, aut bellum oriretur, anxius erat.

CAPVT VII.

[Igitur Micipſa, quo facilius et absque ſuo ipſius periculo, juvenem perderet, Numidis eum, quos in Hispaniam Romanis auxilio mittebat, praefecit. Sed Iugurtha egregiis factis, quibus proſpera ſemper arridebat fortuna, et modeſtia ſingulari P. Scipionis totiusque exercitus ſummum ſibi conciliavit amorem.]

His difficultatibus circumventus ubi videt, neque per vim, neque inſidiis opprimi poſſe hominem tam acceptum popularibus, quod erat Iugurtha manu promptus et adpetens gloriae militaris, ſtatuit eum objectare periculis et eo mo-

praeceps — vehemens, nimium ardens, *voreilig*, *unbeſonnen*, *allzuraſch*.

ſuaeque et liberorum — et ſuae et liberorum. Suſpicabatur enim ſenex, fore, ut ſe decrepitum et aetate infirmum, Numidarum ſtudiis adjutus, opprimeret, ſuisque liberis — nondum adultis, regnum eriperet; vel etiam, quod magis probo, ut, mortuo ſe, filios patrimonio privaret.

transvorſos agit — a recta juſtitiae probitatisque via ſeducit.

do fortunam tentare. Igitur, bello Numantino, Micipſa cum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, ſperans, vel oſtentando virtutem, vel hoſtium ſaevitia facile occaſurum, praefecit Numidis, quos in Hiſpaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator, et morem hoſtium cognovit; multo labore multaque cura, praeterea modeſtiſſume parendo et ſaepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut noſtris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori eſſet. Ac ſane, quod difficillumum in primis eſt, et praelio ſtrenuus erat, et bonus conſilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque

Cap. VII. *fortunam tentare*, experiri, an forte in proelio occideret.

bello Numantino. Cujus narrationem vid. apud Florum II, 17. 18.

Micipſa. Repetit hoc nomine *ſubjectum* narrationis, quod ſecundum noſtrae linguae indolem praemittendum fuiſſet — more Latinis ſolemni.

qui tum Romanis imperator. Similes verbi *fuit* intermiſſiones ſequentibus in locis deprehendes: Catilin. VI. 6. XX. 11.

bonus — non probitatem h. l. ſed in conſulendo dexteritatem ſignificat. Saepe enim haec vox reſpondet noſtris: brauchbar, geſchickt, graecoque ἀγαθός τι. Sic infra Cap. XIII. n. 1. *bello meliores*.

quorum alterum — ſc. conſilio bonum eſſe.

ex providentia etc. nemo enim, niſi qui providens ſit, bene conſulere poteſt.

solet. Igitur imperator omnis fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque in dies amplecti: quippe cujus neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingenii sollertia, quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat.

CAPVT VIII.

[Imperii Numidarum olim potiundi spem et perditi quidam in exercitu Romano homines, et ipse Scipio, sed diversa quisque ratione, in animo Iugurthae excitant. Corrupti vero militum illorum mores paucis iisque gravibus et aptissimis verbis reprehenduntur.]

Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures noui atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti: qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, SI MICIPSA REX OCCIDISSET, FORE, VTI SOLVS IMPERII NVMIDIAE

CAP. VIII. *Novi atque nobiles* — Tam ignobilium, sive obscurorum hominum filii, quam nobilium. Quales enim sint novi, supra exposuimus.

quibus — potiores erant — qui pecuniam primum, virtutem post nummos quaerendam censebant.

Clari magis, quam honesti. Nam fortiter factis, audacia, generisque nobilitate inclarescere quis potest, quamvis non sit vere honestus, et a suis contemnatur.

POTIRETVR: IN IPSO MAXVMAM VIRTVTEM, ROMAE OMNIA VENALIA ESSE. Sed poſtquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, ipſe revorti domum decrevit: donatum atque laudatum magnifice pro concione Iugurtham in praeto ium abduxit: ibique ſecreto monuit, *uti potius publice, quam privatim amicitiam populi R. coleret; neu quibus largiri inſueſceret: periculoſe a paucis emi, quod multorum eſſet. Si permanere vellet in ſuis artibus, ultro illi et gloriam, et regnum venturum:*

Romae omnia venalia eſſe. Summus (quod juvenes noſtri praeſertim ſeculi obſervent) hisce verbis ſignificatur nequitiae turpitudinisque gradus. Nam abſoluta quaedam, nec ullo pretio venalis ineſt virtuti dignitas, quae ſimulac minoris, quam divitiae, penditur, certiſſimum eſt ſummae morum corruptelae indicium. — Conf. Cat. XXX. 4.

donatum atque laudatum magnifice pro concione. Nihil profecto glorioſius excellentiusque hac Jugurthae militia cogitari poteſt, cujus proſper exitus ejusdem viri, quem Micipſae perfidia in ſummum vitae periculum adducere voluerat, auctoritatem, gloriam, bellique gerendi ſcientiam mirifice augeret.

in praetorium abduxit. Cortius ad hunc locum notat: *praetorium*; tabernaculum imperatoris, nomen duxiſſe a *praetore*, qui titulus omnibus olim belli ducibus fuerit communis. Scilicet a *praeeundo* derivabatur.

potius publice, quam privatim — i. e. cum univerſa potius civitate, quam cum ſingulis civibus ageret — ſive, quod idem eſt, uti muneribus ſingulos corrumpere, et factioſis illis, qui pollicitando animum accendere conati eſſent, aurem praebere deſineret; quod quidem apertius dicit in ſequentibus.

neu quibus largiri inſueſceret. *Neu quibus* idem eſt, quod *neve aliquibus*, ſeu: et ne aliquibus, ut ita dicam.

periculoſe — caſurum. Non ſine ſuo periculo a paucis Romanorum, largitione corruptis, illud Numidiae regnum

ſin properantius pergeret, ſuamet ipſum pecunia praecipitem caſurum.

CAPVT IX.

[Iugurtha, publice laudatus, cum litteris admodum honorificis ad regem dimittitur, quibus tantopere commovetur Micipſae animus, ut ſuſpectum antea virum beneficiis cumularet, adoptatumque inſtitueret heredem. — Non ſine puriſſima animi voluptate legentes et virtutem optimi juvenis praemio donatam, et anxium ſenis animum honeſtis, quae ille reportaverat, teſtimoniis victum intelligent. Quanta porro narrationis ſimplicitas, quanta vis!]

Sic locutus, cum litteris, quas Micipſae redderet, dimiſit: earum ſententia haec erat. *Iugurthae tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit: quam rem tibi certo ſcio gaudio eſſe. Nobis ob merita carus eſt: uti idem ſenatui ſit et populo Romano, ſumma ope nitemur. Tibi quidem pro noſtra amicitia gratulor: en habes virum dignum te atque avo ſuo Maſiniſſa.* Igitur rex, ubi, quae fama acceperat, ex litteris imperatoris ita eſſe cognovit, cum virtute viri, tum gratia permotus, flexit

emi, quod multorum — totius nimirum reip. — conſenſu ad eum deferri poſſet, ſiquidem „in ſuis *artibus* permanere vellet,“ h. e. eadem dexteritate et modeſtia inſignem ſe reddere pergeret.

Cap. IX. *Cum virtute viri, tum gratia.* Vocem viri nihil aliud, quam *ejus* — ſc. Iugurthae — ſignificare, ſupra demonſtratum eſt. Cfr. Virg. Aen. IV. 3. *Gratia virî* h. l. non ad decoram juvenis fa-

animum ſuum, et Iugurtham beneficiis vincere adgreſſus eſt: ſtatimque adoptavit, et teſtamento pariter cum filiis heredem inſtituit. Sed ipſe paucos poſt annos, morbo atque aetate confectus, cum ſibi finem vitae adeſſe intellegeret, coram amicis et cognatis, item Adherbale et Hiempſale filiis, dicitur hujuscemodi verba cum Iugurtha habuiſſe.

CAPVT X.

[Sequitur praeſtantiſſima Micipſae moribundi oratio, qua filios ad pacem concordiamque hortatur, qua nihil gravius, nihil ad commovendum animum efficacius cogitari poteſt. Vt enim moribundorum omnino orationes per ſe graviores eſſe ſolent, ita maximi praeſertim ſunt ponderis, ubi de virtute commendanda, tenerisque animis inculcanda agitur. In ejusmodi igitur orationes elaborandas omnem ingenii vim, diligentiamque ſingularem contulit eloquentiſſimus noſter Salluſtius. Itaque et in exorciem, venuſtamque agendi ac dicendi rationem, pertinet, ut ſit noſtrum: *Anmuth*, *Annehmlichkeit*, *Grazie*, ſed ad favorem, quo, ut ſupra ſcriptum legimus, Scipio hominem amplectebatur. Haec autem vox, ſicut aliae complures, e. g. *amor*, ſecundum requirunt caſum *ejus*, qui amatur, vel cui favemus.

Verba cum Iugurtha habuiſſe. Suſpicari quis poſſet, mendam in hunc locum irrepſiſſe, propterea quod praepoſitio *cum* colloquium mutuum ſignificare videatur. Hinc diverſae forſan lectiones exſtiterunt. Sic in Fabric. cod. legitur: hujuscemodi habuiſſe orationem. Sed *cum Iugurtha* nihil aliud ſibi vult, quam *praeſente Iugurtha*. Sic apud Ter. Hecyr. A. III. Sc. III. 21. „hanc *habere* orationem *mecum* principio inſtitit. Cort. “ — Verumtamen e Cap. undecimi initio patet mutuum hoc fuiſſe colloquium; „benigne enim Iugurtham reſpondiſſe.“

dio et in fine juvenis benevolentiam captat; tum, quam firmum regni praesidium sit concordia, docet, majoremque natu filium, ut paci provideat, minores, ut observent illum, enixe hortatur.]

Paruum ego, Iugurtha, te, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi; existumans non minus me tibi, quam liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore: neque ea res falsum habuit. Nam ut alia magna et egregia tua omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti: tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti: in Hispania nomen familiae renovatum: postremo, quod difficillumum inter mortalis, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura vitae finem facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo obtestorque, uti hos, qui tibi

Cap. X. *si genuissem.* Tum enim, quum Iugurtha reciperetur, ipse M. liberos nondum genuerat. Speraverat autem, fore, ut Iugurtha se suosque, si quos olim habiturus esset, liberos pari amore complecteretur.

neque ea res falsum, sc. me, *habuit*. *Falsum* aliquem *habere*, et *frustra habere* idem est, quod *fallere*, *frustrari*.

nomen familiae renovatum. Masinissae gloria bellica rediviva facta est.

per hanc dextram. Vsitatissima priscis gentibus obtestandi obsecrandique consuetudo; Cfr. Freinshem. ad Curt. VI Cap. IV. n. 14.

per regni fidem. A quibusdam haec ita accipiuntur, ut intelligant per fidem, quam regno, cujus civis es, praestare debes. *Bey Deiner Bürgerpflicht; bey der Pflicht eines*

genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas: neu malis alienos adjungere, quam sanguine conjunctos retinere. Non exercitus, neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbe-

Mitgliedes unserer Monarchie! Sed rectius ambiguam *fidei* vocem sic interpretari nobis videmur: Bey dem Schutze unserer Monarchie! ut sit regis jurantis formula. Valde efficax ad commovendum fortiter juvenis animum esse debuit dextra fenis e vita egressuri porrecta, et seria, quae huic obtestationi adjuncta erat, de officiis, regno, in quod acceptus esset, praestandis admonitio.

praesidia regni — quibus ab externorum invasionibus defendi possit — *Sicherungsmittel, Schutzwehren*, Hülfsquellen überhaupt. Quaecunque enim vel ad defendendum, vel ad augendum imperium pertinent — *praesidia* vocantur.

quos neque armis cogere, i. e. vi comparare, erzwingen. Nam cogere nihil aliud sibi vult, quam *coagere*, colligere. Haec est prima verbi notio. Et quoniam, quae diversis locis dispersa colliguntur, coarctantur simul, nec amplius libere vagari queunt, secunda inde vocis significatio (zwingen) derivatur.

Equidem ego. Non delendum est alterum, quod putarunt nonnulli, qui priorem harum vocum ex *ego* et *quidem* compositam esse temere sibi persuaderent. Nam recte opponit doctiss. Cortius, eam ex *et quidem* aliisque particulis conflari potuisse. Quid plura? Saepissime conjunctim utrumque pronomen scriptum invenimus. Cfr. Catil. LI. 15. „*Equidem ego sic aestumo.* Plura exempla, apud Cortium obvia, praetereo. Sed quomodo Noster Cap. LII. scribere potuisset: „Vanum *equidem* hoc consilium est, si *equidem* esset *ego quidem*?“

cillum. Nam concordia parvae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum, imitamini virtutem et enitimini, ne ego meliores liberos sumsisse videar, quam genuisse.

CAPVT XI.

[Iugurtha benignum in fratres animum simulat; rex paulo post moritur; conveniunt fratres, de regno deliberaturi, quorum unus, Hiempsal, Iugurtham, quem propter generis ignobilitatem contemnebat, graviter offendit.]

Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum

Nam concordia etc. Aureorum sententiarum, ut reliquae fere omnes, sic haec oratio, quam *divinam* adpellat Spartianus, plena est.

facere — inferre injuriam.

sumsisse — adoptasse. Magnam profecto vim habet istiusmodi orationis exitus, non modo ad aemulationem minorum natu filiorum excitandam, sed etiam ad Iugurthae animum in officio retinendum.

Cap. XI. *tametsi regem fictæ locutum intell.* Equidem, unde colligi possit, regem ficta locutum esse, prorsus non intelligo, nisi forte Iugurtha certis indiciis cognovit, se a Micipsa, quo maturius occideretur, in Hispaniam missum fuisse. Nam neque in adoptione, heredisque institutione, nec in ipsis moribundi verbis quidquam doli latere video. Sed verisimile est, patrem ve-

intellegebat, et ipſe longe aliter animo agitabat: tamen pro tempore benigne reſpondit. Micipſa paucis diebus moritur. Poſtquam illi, more regio, juſta magnifice fecerant, reguli in unum convenere, uti inter ſe de cunctis negotiis diſceptarent. Sed Hiempſal, qui minumus ex illis, natura ferox, etiam antea ignobilitatem Iugurthae (quia materno genere impar erat) deſpiciens, dextera Adherbalem adſedit: ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen, uti aetati concerorum liberorum amore ductum, quo facilius incolumitatem illis regnique partem procuraret, Iugurthae laudes *paululum exaggeraſſe*. Nollem tamen fictam ſimulatamque boni ſenis orationem judicare.

venilem aetatem, vel propterea vocantur, quod, distributo inter triumviros regno, mediocri quisque gaudebat imperio.

et ipſe longe aliter animo agitabat, quod intelligi poteſt ex iis, quae paulo poſt in conventu regulorum diſſeruit.

materno genere impar. Recte obſervat Cortius, haec verba omitti potuiſſe, cum antea jam dictum ſit, Iugurtham concubinae filium fuiſſe. Sed legentibus haec in mentem revocare voluit vel auctor ipſe (nam incertum eſt) vel aliquis interpretum.

juſta magnifice fecerant — magnifice combuſtum regem mortuum ſepeliverant. *Iuſta*, Graecis τὰ νομιζόμενα, propterea dicta ſunt funeralia, quod relictam familiam hunoce honorem mortuis debere opinabantur, defunctumque *jure ſuo* ſepulturam poſtulare.

dextera Adherbalem adſedit. Ne quis legentium miretur, verbum adſidere cum quarto caſu junctum eſſe, ſimiles quosdam locos ſubjungemus, a Cortio collectos: Sil. IX. 623. *adſidet arces*; et Apulej. Metam. I. p. 112. *Adſidebat pedes* uxor et menſa etc.

reguli. Adherbal, *Hiempſal* et *Iugurtha*: reguli vel ob ju-

deret, fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus eſt. Ibi cum multa de adminiſtrando imperio diſfererent, Iugurtha inter alias res jacit: OPORTERE QVINQVENNII CONSVLTA OMNIA ET DECRETA RESCINDI. NAM PER EA TEMPORA CONFECTVM ANNIS MICIPSAM PARVM ANIMO VALVISSE. Tum IDEM, Hiempſal, PLACERE SIBI, reſpondit: NAM IPSVM ILLVM TRIBVS HIS PROXVMIS (ANNIS) ADOPTATIONE IN REGNVM PERVENISSE. Quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus, deſcendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare, atque ea modo animo habere, quibus Hiempſal per dolum caperetur. Quae ubi tardius procedunt, neque lenitur ani-

fatigatus — enixe rogatus.

in partem alteram, ad laevum Iugurthae latus.

jacere, reſpondet noſtro: ein Wort fallen laſſen, hinwerfen — addita quadam jactationis et arrogantiae notione.

oportere — *reſcindi* i. e. aboleri. Quae ultimis quinque ante obitum annis rex defunctus ſtatuerit, decreveritque, ea, tanquam parum ſana infirmi, menteque capti, ſenis conſilia rejicienda cenſet.

ipſum illum — Iugurtham, qui haec cenſeat.

ira et metu anxius. Ex hac verborum copulatione patet, non timidum modo, ſed quemlibet, qui vehementi quodam adfectu perturbatur, ſive ira ſive metu' oppreſſus ſit animus, *anxium* dici, *gefoltert*. Incertum quoque animi dubitantis ac veluti fluctuantis ſenſum indicat. Sic apud Iuſtin. III. 2. „cum eum nunc lineamentorum filiae ſimilitudo, nunc aetas expoſitionis temporibus congruens *anxium* tenerent;“ i. e. haeſitantem.

tardius, ſc. quam voluerat.

mus ferox, ſtatuit quovis modo inceptum perficere.

CAPVT XII.

[Hiempſal, adjuvante proximo Iugurthae lictore, cujus domo in oppido Thirmida utebatur, ab intromiſſis militibus regiis interficitur, ejusque caput ad Iugurtham refertur.]

Primo conventu, quem ab regulis factum ſupra memoravi, propter diſſenſionem placuerat dividi theſauros, finisque imperii ſingulis conſtitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, ſed maturius ad pecuniam diſtribuendam. Reguli interea in loca propinqua theſauris alius

inceptum — non rem, quae fieri jam coepta eſt, ſed, uti hic locus probat, animi conſilium — noſtrum *Plan, Vorhaben*, ſignificat; quod in eorum gratiam notamus, qui genuinam vocum ſignificationem ex ipſis auctoribus cognoſcere ſtudent.

Cap. XII. *Quom — memoravi.* Haec verba, quorum partem cod. Eccard. omiſit, a Salluſtio ſcripta eſſe nemo facile credet. Quomodo egregius ille ſcriptor, qui doctam brevitatem, ſi quis alius, amat, tot languidis verbis rem paulo ante memoratam repetere potuiſſet. Saltem praeter voces: *quem ſupra memoravi*, reliqua falſa eſſe nullus dubito.

finisque — finesque.

Reguli — conceſſere. Hic locus, uti quidem nunc eſt, ſpiſſa mihi videtur involutus obſcuritate. Quid? Reguli, conſtituto jam tempore ad pecuniam distribuendam, alius alio concedunt? In loca theſauris propinqua? Quaenam ſunt haec loca? Quinam iſti theſauri? Nonne de pecunia distribuenda convenerant? Num igitur diverſis in locis aeraria fuere, in quibus pecunia — ſive argentum, ſive alia fortunae bona intelliguntur, condita eſſet? Et, quod magis mirum eſt, Hiempſal, Iugurthae inimiciſſimus, *ejus* hominis domo utitur, qui exoſo fratri eſt amiciſſimus? Quid? regius princeps divertitur apud lictorem? Idemque

alio conceſſere. Sed Hiempſal in oppido Thirmida forte ejus domo utebatur, qui proxumus lictor Iugurthae, carus acceptusque ſemper fuerat; quem ille caſu miniſtrum oblatum promiſſis onerat, uti tamquam ſuam viſens domum eat, portarum clavis adulterinas paret: nam verae ad Hiempſalem referebantur. Ceterum, ubi res poſtularet, ſe ipſum cum magna manu venturum.

hic lictor — Iugurthae proxumus, in alia habitat urbe —? Sin autem in uno eodemque oppido erant Iugurtha et lictor: cur diſerte oppidum *Thirmida* nominatur? Equidem ſuspicor, *loca* eſſe diverſas urbis capitalis partes, aerario vicinas, *Thirmidam* vero, non urbis (nam talem urbem ne Cortius quidem novit) ſed viri ipſius, lictoris nempe — nomen fuiſſe, qui illam domum poſſideret, ipſe autem cum Iugurtha habitaret. Tum vero legendum eſſet: *Thirmidae* forte *civis* domo utebatur. Miror autem, Cortio doctiſſimo ne ullam quidem corruptelae ſuſpicionem in mentem veniſſe.

proxumus lictor etc. Magiſtratuum in Numidia comites vel Romanorum loquendi more *lictores* a Noſtro adpellantur, quamvis non eadem, quae illi, juſtitiae imperiique ſigna anteferrent, vel ex illo tempore, quo Iugurtha apud Numantiam Romanos lictores, eorumque habitum cognoverat, horum mores veſtitumque imitabantur. Mihi quidem prior illa ſententia veriſimilior videtur; ſaepiſſime enim Romani ſcriptores ſuorum magiſtratuum nomina transferunt ad peregrinos; neque ex hoc loco aliud quidquam colligi poteſt, niſi quod plures miniſtri ſummos magiſtratus comitarentur, quorum famulorum unus in ſerie antecedentium proximus eſſet regi.

promiſſis onerat — multa ſplendidaque dona pollicetur. Cfr. Liv. XXIV. 13. „Annibal collaudatos eos, *oneratosque* ingentibus *promiſſis*, domum — redire jubet.“

adulterinas — „Adulterinum opponitur vero.“ Sic litterae, nummi, teſtimonia, verba, cum opponuntur veris, adulterina vocantur — *unächt, verfälſcht, nicht authentiſch*; h. l. nachgemacht.

ubi res poſtularet — *neceſſitate poſtulante.* Sed cur *magna* manu ad opprimendum nocturno tempore fratrem opus fue-

Numida mandata brevi confecit: atque, ut doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit. Qui poſtquam in aedis irrupere, diverſi regem quaerere: dormientis alios, alios occurſantis interficere: ſcrutari loca abdita; clauſa effringere: ſtrepitu et tumultu omnia miſcere: cum Hiempſal interim reperitur, occultans ſeſe tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput ejus, ut juſſi erant, ad Iugurtham referunt.

CAPVT XIII.

[Divulgato caedis rumore, populus in partes discedit, quarum altera Iugurtham, Adherbalem altera, ſed vel populi tumultus exſiſteret, vel Hiempſalis famuli nimis fortiter reſiſterent, per nuntium certior factus, ipſe Iugurtha auxilio veniret. — Sed ex hoc iterum recte colligitur, fratris caedem in eadem, quam I. incoluerit, urbe factam eſſe.

rit, mihi quidem non liquet. Et quamvis cogitari poſſit, lictoris domum Hiempſali vel locatam, vel aliquamdiu conceſſam fuiſſe, tamen, fateor, omnis hic locus obſcuritate laborat, nec ullam habet internam veriſimilitudinem. Igitur aut vanus aliquis imperitorum hominum rumor a Salluſtio temere repetitus, aut ipſa narratio valde corrupta eſt.

Iugurthae milites introducit. His igitur opus fuit. Sed nihil antea de militibus eo conſilio datis legimus, neque ſatis liquet, utrum magna illa, quam, re poſtulante, Iugurtha promiſerat, an parva quaedam armatorum manus intelligatur. Cum paucis tamen praemiſſus eſſe videtur, quibus, ſi forſan

diverſi — quaerere etc. Haec, et quae ſequuntur, verba tanti, tamque ampli domicilii notionem involvunt, ut lictorem harum aedium poſſeſſorem fuiſſe vix credibile ſit. Sed, „quia carus acceptusque ſemper fuerat regi,“ dono forſan ei datae erant.

tugurio — h. e. interprete Cortio, cella, quae ſervis fere propria. In talem cellam Vitellius quoque apud Sueton. Cap. XVI. Confugiſſe dicitur.

infirmior, ſequitur. Adherbal proelio victus Romam profugit, ubi victor, qui Romanorum avaritiam probe cognoviſſet, miſſis cum auro multo legatis, veteres amicos muneribus retinere, novos adquirere ſtudet. Legatis utrisque deinceps ipſique Adherbali datur Senatus.]

Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur; Adherbalem omnisque, qui ſub imperio Micipſae fuerant, metus invadit. In duas partis discedunt: plures Adherbalem ſequuntur, ſed illum alterum bello meliores. Igitur Iugurtha quam maxumas poteſt copias armat: urbis partim vi, alias voluntate imperio ſuo adjungit: omni Numidiae imperare parat. Adherbal, tamen etſi Romam legatos miſerat, qui Senatum docerent de caede fratris et fortunis ſuis, tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex praelio profugit in provinciam, ac deinde Romam contendit. Tum

CAP. XIII. *bello meliores.* Phraſin hanc ſupra obviam fuiſſe meminerint lectores. Vnum addam. Quippe non tertium, ſed ſextum caſum adjectivo conjunctum eſſe, probat Taciti locus, qui Annal. I. Cap. 3. Agrippam adpellat „*bonum militia.*“

tamen etſi. Sic centies priſci, pro: tametſi,

docerent de caede, narrare necem — indicare de nece. Fratrem enim *eſſe occiſum*, non feciſſe caedem, e narrationis ſerie tam dilucide patet, ut nulla exſiſtat ambiguitas.

fortunis ſuis; de ſua ipſius (Adherbalis) calamitate.

in provinciam, puta *Romanorum.* Africanam ſcilic. Carthaginienſium ditionem victores Romani in provinciae formam redegerant. Quid autem ſit illud, coram exponat magiſter.

Iugurtha, patratis consiliis, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque advorsus iram ejus usquam, nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua, spem habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo Romam mittit, quis praecepit, uti primum veteres amicos muneribus expleant: deinde novos adquirant: postremo quaecumque possint largiundo parare, ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere, et, ex praecepto regis, hospitibus aliisque, quorum ea tempestate auctoritas pollebat, magna misere; tanta commutatio incessit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret. Quorum pars

patratis consiliis — peractis consiliis, occiso nempe Hiempsale, victoque fratre altero.

timere pop. Rom. Notissima res est, infinitivum historicum quem dicunt — perfecti locum saepe tenere.

mittit, quis — mittit quosdam legatos, quibus. Nonnunquam enim, praesertim apud Nostrum, ea pronomina, ad quae sequentia referenda sunt, omittuntur. E. g. Cat. Cap. XXXII. Cajus Manlius ex suo numero ad Marcium regem mittit, cum mandatis hujuscemodi.

magna misere. Non opus est, ut addas *dona*, vel munera. Saepissime enim adjectiva, quorum facilis est ad substantiva omissa relatio, absolute posita reperimus.

tanta commutatio incessit, tanta repente facta est animorum commutatio. Sed quomodo antea fuerint adfecti, quamvis disertis verbis non dixerit, facile suspicabuntur legentes, praesertim cum addat: *ex maxuma invidia. Incedere* est nostrum: *erfolgen.*

nobilitatis etc. *quorum* — civium genere, honoribusque nobilium, quorum. Nobilitas enim est vox collectiva, quae cum plurali numero potest conjungi. Itaque in eadem periodo legimus: *pars nitebantur.*

ſpe, alii praemio inducti, ſingulos ex Senatu ambiundo, nitebantur, ne gravius in eum conſuleretur. Igitur, legati ubi ſatis confidunt, die conſtituto, Senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus.

CAPVT XIV.

[Sequitur Adherbalis coram Senatu oratio perfectiſſime elaborata, et ad Romanorum benevolentiam captandam, movendamque commiſerationem aptiſſime compoſita.]

Patres conſcripti. Micipſa pater meus moriens praecepit, uti regnum Numidiae tantummodo procuratione exiſtumarem meum; ceterum jus et imperium penes vos eſſe: ſimul eniterer domi militiaeque quam maxumo uſui

nitebantur, ne — conſuleretur, operam dabant, ne vindicta nimis acerba in eum ſenatusconſulto conſtitueretur.

leg. ubi ſatis confidunt — ubi ſatis confirmata eſt legatorum fiducia.

utrisque, tam Adherbali, quam illis, quos Iugurtha miſerat, legatis.

Obſervandum h. l. videtur Nominativum praecedentem plerumque ſequi aliquod verbum, quod, poſt interpoſitas enunciationes, ad illum referatur, hic autem vocem *legati*, quamvis, praepoſitionem antecedens, attentum reddat lectorem, nulli verbo conjunctam eſſe. Iuvenes igitur monendi ſunt, ne hunc verborum ordinem imitentur, niſi forte emphaſin quandam ineſſe velint nominativo.

Cap. XIV. *procuratione* — quatenus procurandum a Vobis mihi traditum ſit. Similiter Cicero: *uſu meus* dixit, ut denotaret, *quatenus* aliquis ipſi fuerit traditus. — Diſtinguitur autem *jus et imperium*, höchſte Gerichtsbarkeit und Oberherrſchaft, a procuratione.

esse populo Romano. Vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem: si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni habere. Quae cum (praecepta parentis mei) agitarem, Iugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissumus, contemto imperio vestro, Masinissae me nepotem, et jam ab stirpe socium et amicum populo Romano regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, Patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob majorum beneficia posse auxilium petere; ac maxume deberi mihi a populo Romano, quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se

vos mihi cognatorum, supplenda hic est praepositio sequens *in*, quae ad utrumque adjectivum pertinet.

habere pro: habiturum esse. Nam praesenti interdum pro futuro utuntur scriptores, ubi *rem certo eventuram* pronuntiant. Exordium summam fiduciam modestiamque prodit, quo facilius animos Romanorum ad opitulandum proclives reddat.

Masinissae — Romano, me, cum sim Masinissae nepos, eamque ob rem justissimus heres, et praeterea non factus, sed natus P. R. socius.

ac maxume deberi. Opponitur τὸ *maxime* vocibus *secundum ea*. Nam plerumque praepositionis locum tenet vox *secundum*, et cum aliquo casu conjungitur. Alio modo interpungenda essent verba, si absolute poneretur. Tum enim legeremus: *secundum*, (h. e. deinceps) ea si desideranda erant (h. e. si ea desideranda essent) uti debitis uterer.

ipsa probitas, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret: ad vos confugi, Patres conscripti, quibus, quod miserrumum, cogor prius oneri, quam usui esse. Ceteri reges, aut bello victi in amicitiam a vobis recepti, aut in suis dubiis rebus societatem vestram adpetiuerunt. Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit: quo tempore magis fides eius, quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, Patres conscripti, nolite pati frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil caussae haberem, praeter miserandam fortunam; quod paullo ante rex, genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto: tamen erat majestatis Romani populi, prohibere iniu-

neque—foret, und ich nicht für Iugurtha's ferneres Betragen einstehen könnte.

Ceteri — erat. Sensus est: Quum familia nostra, neque belli cladibus, nec domesticis miseriis coacta, sed sponte sua vestram adpetiverit societatem, equidem auxilio vestro non indignus videri debebo.

Quorum — Cujus sc. familiae.

Si — crescceret. Hisce verbis graviſſimum addit orationi momentum. Provocat enim ad Romanos, tamquam ad judices totius terrarum orbis, qui et commiseratione triſtiſſimi fati, et contumeliae, qua ſit adfectus, indignitate commoti, injuriam prohibere debeant. Quod quo facilius in ſe recipiant, ſuam rem cum Romanorum cauſa arctiſſime conjunctam eſſe indigitat verbis ſequentibus.

riam, neque cujusquam regnum per ſcelus creſceret. Verum ego his finibus ejectus ſum, quos majoribus meis populus Romanus dedit: unde pater et avus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienſes. Veſtra beneficia erepta ſunt, Patres conſcripti: vos in mea injuria deſpecti eſtis. Eheu me miſerum! Huccine, Micipſa pater, beneficia evaſere, uti quem tu parem cum liberis, regnique participem feciſti, is potiſſimum ſtirpis tuae exſtinctor ſit? Numquamne ergo familia noſtra quieta erit? ſemperne in ſanguine, ferro, fuga verſabimur? Dum Carthaginienſes incolumes fuere, jure omnia ſaeva patiebamur: hoſtes ab latere, vos amici procul, ſpes omnis in armis erat. Poſtquam illa peſtis ejecta, laeti pacem agitabamus: quippe quis hoſtis nullus, niſi forte quem iuſſiſſetis. Ecce autem ex improviſo Iugurtha, intoleranda audacia,

neque — creſceret. Suppl. prohibere.

Dum — patiebamur. Scite Noſter initum cum Romanis contra Carthaginienſes foedus in memoriam audientium revocat. Nam quo inviſius fuiſſet aemulae Carthaginis nomen, eo paratiores ad ferendum auxilium iis, qui a ſuis partibus in bello Punico ſteterant, reddebantur Romani.

niſi — juſſiſſetis. Semper ſe ad bellandum pro ſociis proclives fuiſſe, atque ex nutu Romanorum pependiſſe cum abjecta quadam humilitate animi teſtatur. Noverat enim Salluſtius, qui regem haec verba facientem inducit, animos ſuorum.

ſcelere atque ſuperbia ſeſe ecferens, fratre meo, atque eodem propinquo ſuo interfecto, primum regnum ejus ſceleris ſui praedam fecit: poſt, ubi me isdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim, aut bellum exſpectantem, in imperio veſtro, ſicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miſeriis effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno eſſem. Ego ſic exiſtumabam, Patres conſcripti, ut praedicantem audiveram patrem meum; qui veſtram amicitiam colerent, eos multum laborem ſuſcipere: ceterum ex omnibus maxume tutos eſſe. Quod in familia noſtra fuit, praeſtitit, uti in omnibus bellis vobis adeſſent. Nos uti per otium tuti ſimus, in manu veſtra eſt, Patres conſcripti. Pater nos duos fratres reliquit: tertium, Iugurtham, beneficiis ſuis ratus nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus, alterius ipſe ego manus impias vix effugi. Quid agam? quo potiſſumum infelix accedam? generis praeſidia omnia exſtincta ſunt: pater, uti neceſſe

Ego — maxume tutos eſſe. Ne tamen vacuum aerumnis ac laboribus fuiſſe foedus a Numidis initum ſibi perſuadeant, multis ſe patremque laboribus functos eſſe pro illorum ſalute oſtendit, pro quibus ſecuritatem, tanquam mercedem, ſuo jure exſpectent.

per otium, „ab hoſtibus et bellis.“

uti — conceſſit — ex immutabili naturae lege mortuus eſt.

erat, naturae conceſſit; fratri, quem minume decuit, propinquus, per ſcelus vitam eripuit; adfines, amicos, propinquos ceteros, alium alia clades oppreſſit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars beſtiis objecti; pauci, quibus relicta anima, clauſi in tenebris, cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amiſi, aut ex neceſſariis advorſa facta ſunt, incolumia manerent, tamen, ſi quid ex improviſo accidiſſet, vos implorarem, Patres conſcripti; quibus, pro magnitudine imperii, jus et injurias omnis curae eſſe decet. Nunc vero exſul

quem — decuit — is, qui eum colere atque amare *debuiſſet*; a quo talia nunquam timenda videbantur.

pars — acti. Sic Cicero: Polycrates in crucem *actus eſt*; uſitatius tamen eſt: *figi, ſuffigi, tolli, ſuspendi.*

quibus relicta anima — vita ſupplicio non eſt ademta.

exigunt. Eodem verbo utitur in fin. Cap. 85, aliis etiam ſcriptoribus uſitato pro: *degere.*

Si omnia — — Egregiam et invictam hoc loco fiduciam prodit, adfirmans, in quacunque cauſa, *etiamſi* manſerit in regno, Romanorum auxilium ſe imploraturum fuiſſe.

ex neceſſariis advorſa facta ſunt. Quum adfines atque propinqui neceſſario quodam naturae vinculo nobiscum ſint conjuncti, recte auxilium ab illis ſperandum *neceſſarium* dicitur; *nobis* enim, prae reliquis omnibus, *neceſſario* debetur. „Etiamſi igitur, inquit, nec regnum mihi ademtum, nec illa fratrum neceſſitudo, quam utiliſſimam mihi fore confidebam, ſublata eſſet etc.

ſi quid ex improviſo accidiſſet — ſi quae calamitas praeter opinionem metuenda fuiſſet.

jus et injurias omnis etc. jura cujusque defendere, injurias vero ulciſci.

patria, domo, ſolus et omnium honeſtarum rerum egens, quo accedam, aut quos adpellem? nationesne, an reges, qui omnes ſamiliae noſtrae ob veſtram amicitiam infeſti ſunt? an quoquam adire licet, ubi non majorum meorum hoſtilia monumenta plurima? aut quisquam noſtri miſereri poteſt, qui aliquando vobis hoſtis fuit? Poſtremo Maſiniſſa nos ita inſtituit, Patres conſcripti, ne quem coleremus, niſi populum Romanum, ne ſocietates, ne foedera nova acciperemus: abunde magna praeſidia nobis in veſtra amicitia fore: ſi huic imperio fortuna mutaretur, una nobis occidendum eſſe. Virtute ac dis volentibus magni eſtis et opulenti; omnia ſecunda et obedientia ſunt: quo facilius ſociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae, parum cognita, transvorſos agat: quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos ſin-

omnium honeſtarum rerum egens, omnibus iis vitae bonis, quae ad honeſte et cum regia dignitate vivendum pertinent, privatus.

ob veſtram amicitiam — ſc. quam nobis invident.

acciperemus — etiamſi ab aliis gentibus offerrentur. Tantum igitur abeſt, ut ad novum ipſi foedus alios invitemus, ut ne oblatum quidem accipere licitum putemus.

parum cognita — cujus inconſtantiam atque mutabilitatem parum (zu wenig) cognoverunt.

transvorſos agat — a recto juſti tramite abducat.

gulos, ne quid de abſente, incognita cauſſa, ſtatuatis: ſingere me verba, fugam ſimulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cuius impio facinore in has miſerias projectus ſum, eadem haec ſimulantem videam: et aliquando aut apud vos, aut apud deos immortalis rerum humanarum cura oriatur: nae ille, qui nunc ſceleribus ſuis ferox atque praeclarus eſt, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem noſtrum, fratris mei necis, mearumque miſeriarum gravis poenas reddet. Iam jam frater, animo meo cariſſume, quamquam immaturo, et unde minume decuit, vita erepta eſt: tamen laetandum magis, quam dolendum puto caſum tuum. Non enim regnum, ſed fugam, exſilium, egeſtatem et omnis has, quae me pre-

cui licuerit — cum tamen mihi licuerit.

eadem haec ſimulantem — aeque ac me in fugam, quam illi ſimulatam eſſe opinantur, adactam.

apud deos immortalis rerum humanarum cura oriatur etc. Eſt enim imbecillitatis humanae, deorum opem tum ſibi ademtam putare, quum calamitatibus premitur. „Vt cujusque calamitas maxima erat, ita minimum de illorum cura ſentiebant.“

nae ille — reddet. Tum enim profecto (nempe, ſi hujus voti compos factus eſſem) ille — — — poenas redderet.

Iam, jam frater etc. Quo vehementior eſt fraterni amoris, quem vel ſimulat, vel revera ſentit, adfectus, et quo facilius interemtorum cognatorum pia recordatio miſericordiam excitare poterat, eo magis egregiam ſcribentis artem laudo, qui hujuscemodi apoſtrophen aptiſſimo loco orationi inſeruit.

munt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo: incertus quid agam, tuasne injurias persequar, ipse auxilii egens; an regno consulam, cujus vitae necisque potestas ex opibus alienis pendet. Vtinam emori fortunis meis honestus exitus esset, neu vivere contemtus viderer, si defessus malis injuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per vos liberos atque parentes, per majestatem populi R. subvenite misero mihi: ite obviam injuriae: nolite pati, regnum Numidiae, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.

rerum humanarum, inconstantis hominum fortunae.

Vtinam emori f. m. honestus exitus esset — — Emori h. l. substantivi habet notionem; verbis enim saepissime pro subst. utitur Noster: Sic infra Cap. XXXI. „Caedem fecisse pro munimento habent.“ Et ibidem: „eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit.“

neu vivere contemtus viderer, Veretur enim, ne, si vivat dutius, ab omnibus contemnatur, quum regno expulsus princeps ignaviae suspicionem haud facile vitare queat, ipseque calamitatum suarum auctor, et indignus commiseratione habeatur.

n. mori licet sine dedecore, Nam quum armis Iugurthae resistere nequeam, nec occidere in proelio, quae sola mors viro honesta est, non nisi laqueo vel gladio vitam cum dedecore finire licet.

CAPVT XV.

[Continet legatorum Iugurthae breve reſponſum, et diverſas ſenatorum ſententias.]

Poſtquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthae largitione magis, quam cauſſa freti, paucis reſpondent: *Hiempſalem ob ſaevitiam ſuam ab Numidis interfectum: Adherbalem ultro bellum inferentem, poſtquam ſuperatus ſit, queri, quod injuriam facere nequiviſſet. Iugurtham ab Senatu petere, ne alium putarent, ac Numantiae cognitus eſſet, neu verba inimici ante facta ſua ponerent.* Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus ſtatim conſulitur: Fautores legatorum, praeterea magna pars gratia depravati Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno ſcelere et flagitio, ſua quaſi pro gloria, nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequum

Cap. XV. *ne alium putarent, ac N. cognitus eſſet* — ne illam indolem, quam ad Numantiam olim Romanis probaſſet, mutatam eſſe; nec de juſti rectique via ſe deceſſiſſe putarent. Eundem ſe eſſe, qualem ibi cognoviſſent.

neu — ponerent, ne magis ad verba (calumnias) inimici, quam ad ſua facta attenderent.

praeterea magna pars gratia depravati — et praeter illos multi, qui verborum lenociniis atque promiſſis corrupti erant.

gratia, voce — Favore, quo alios in ſuam partem trahere poterant, atque dicendi facultate utebantur.

divitiis carius, ſubveniundum Adherbali et Hiempſalis mortem ſevere vindicandam cenſebant. Sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factioſus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia ſua callide occultans. Is poſtquam videt regis largitionem famoſam impudentemque, veritus, quod in tali re ſolet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a conſueta lubidine continuit.

CAPVT XVI.

[Habendi cupido vincit juſtam Adherbalis cauſam. — Reliqua facile patebunt legentibus.]

Vicit tamen in Senatu pars illa, qui vero pretium aut gratiam anteferebant. Decretum fit, VTI DECEM LEGATI REGNVM, QVOD MICIPSA OBTINVERAT, INTER IVGVRTHAM ET ADHERBALEM DIVIDERENT. Cujus legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, et tum in Senatu potens: quia conſul, C. Gracco et M. Fulvio

Aemilius Scaurus — de quo vid. Ciceronis pro Murena Cap. VIII.

licentia polluta etc. h. e. ſi tam impudenter abuterentur licentia, ut propter accepta munera aliorum in ſe invidiam excitarent.

Cap. XVI. *L. Opimius.* Qui acerrime C. Gracchum oppugnaverat, plebisque a Gracchis defenſae viribus fractis, eo inſolentiae progreſſus, ut *concordiae* templum conſecraret, quod rectius nonnulli a *vecordia* conſtructum eſſe dicebant, ipſe poſtea, quum corrumpi ſe paſſus eſſet, damnatus atque in exilium ejectus in dedecore conſenuit. Vide Plutarchum in vita C. Gracchi in fine.

Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha tametſi Romae in amicis habuerat, tamen adcuratiſſime recepit: dando et pollicitando perfecit, uti fama, fide, poſtremo omnibus ſuis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via adgreſſus, plerosque capit: paucis carior fides, quam pecunia fuit. In diviſione, quae pars Numidiae Mauretaniam adtingit, agro,

acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. *Exercere* victoriam dicuntur, qui non parcunt victis; qui nihil de ſuo jure humanitati remittunt, ſed proſpero rerum ſucceſſu ad ſuas tantum opes augendas utuntur.

tametſi Romae in amicis habuerat, tamen accuratiſſime recepit. Amicos enim, familiares praeſertim, paulo negligentius recipere licet, quum neutiquam timendum ſit, ne grata ejusmodi negligentia in malam partem accipiatur. *Accuratiſſime recipere* eſt noſtrum: *mit peinlicher Aengſtlichkeit aufnehmen.*

uti fama, fide, poſtremo omnibus ſuis rebus etc. Quum genuinam hanc, optimorumque codicum auctoritate defenſam lectionem jure receperit praeſtant. Cortius: ne falſam eam temere ſuspicentur legentes, locum Ciceronis huic ſimillimum ex orat. pro Balbo Cap. VIII. adjungimus: „Cum magna pars in iis civitatibus foederis ſui libertatem *civitate* anteferrent.“ Sic Tacitus in Annal. lib. III. Cap. 19: Is finis, inquit, fuit *ulciſcenda* Germanici *morte.*“ E quibus locis colligere licet: non Dativum antiquum, eumque ex *famai* decurtatum, nec *fide* pro *fidei* ſcriptum, ſed ſextum caſum hic cum verbo *anteferre* conjunctum eſſe.

Fama (hanc enim honeſtiſſimus quisque civis integram ſervat) *fide*, quam, quum legationis princeps eſſet, civitati praeſtare debuiſſet.

eadem via adgreſſus, plerosque capit — Translatio elegantiſſima optimeque continuata. Illum enim, qui legatos corrumpere ſtudebat, cum inimico comparat, integritatem virorum pecunia tentante.

In diviſione — poſſedit. Sic Adherbali quodammodo ſatisfacere videbantur aſtuti ho-

viris opulentior, Iugurthae traditur: illam alteram ſpecie, quam uſu, potiorem, quae portuoſior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal poſſedit.

CAPVT XVII.

[*Summa Capitum XVII et XVIII.* Brevis Africae, ac nationum ibi habitantium, quae partim foedus cum Romanis fecerant, partim bella adverſus eosdem geſſerant, deſcriptio.

Res poſtulare videtur Africae ſitum paucis exponere, et eas gentis, quibuscum nobis bellum, aut amicitia fuit, adtingere. Sed quae loca et nationes ob calorem, aut aſperitatem, item ſolitudines minus frequentata ſunt, de is haud facile compertum narraverim: cetera quam pauciſſumis abſolvam.

In diviſione orbis terrae plerique in partem tertiam Africam poſuere: pauci tantummodo Aſiam et Europam eſſe; ſed Africam in Europa.

mines, quum ſpecioſiorem illi regionis partem traderent. Sed veris Iugurthae commodis, tradita illi ditiore provinciarum parte, conſulebant.

portuoſior — pluribus portibus exornata.

Cap. XVII. *Res poſtulare videtur* etc. *exponere.* — *ut exponam* eſt uſitatius. Sed ſimilium connexionum exempla paſſim inveniuntur. Et τὸ exponere ſubſtantivi locum hic tenet, quaſi ſcriptum eſſet: *Res poſtulare videtur expoſitionem.*

compertum — certo cognitum.

in partem tertiam ponere — h. e. in deſcribendis terrae partibus Africam tertio loco numerare: als dritten Welttheil angeben, quod *Strabo*, *Plinius*, alii fecere.

pauci tantummodo Aſiam et Europam eſſe; ſed Africam in

Ea finis habet ab Occidente fretum noſtri maris et Oceani: ab ortu ſolis declivem latitudinem: quem locum Catabathmon incolae adpellant. Mare ſaevum, importuoſum. Ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus: coelo, terra penuria aquarum. Genus hominum ſalubri corpore, velox, patiens laborum: plerosque ſenectus diſſoluit, niſi qui ferro, aut beſtiis in-

Europa. In his, qui duas tantum orbis partes faciunt, et inter Europae partes Africam numerant, eſt Varro, qui in l. IV. de ling. lat. „Vt omnis natura, inquit, in coelum et terram diviſa eſt, ſic coelum in regiones, terra in *Aſiam* et *Europam*.

fretum noſtri maris et Oceani. Per *noſtrum* mare intelligit mediterraneum: *Oceanus* eſt mare Atlanticum, quae ambo interfluit fretum Gaditanum. Discant h. l. juvenes, vocem *Oceanum* pro adjectivo nonnumquam uſurpari, ita ut, deleta conjunctione *et*, *mare Oceanum* nihil aliud quam mare mediterraneum, quatenus Oceani pars eſt, ſignificare poſſit. Nam Caeſar B. Gall. III. Cap. 7. „P. Craſſus, inquit, proximus *mare Oceanum* Andibus hiemabat.

ab ortu ſolis — ab oriente.

Catabathmon incolae adpellant. Audiverant nempe graecum illud vocabulum, quod, a verbo καταβαινω derivatum, *locum declivem* ſignificat.

Mare ſaevum, importuoſum dicitur, quod procellis agitatum vel nullos omnino, vel parum commodos habet portus. Sic et Caſpium mare a Pompon. Mela III. 5. atrox dicitur, ſaevum, *ſine portubus, procellis undique expoſitum.*“

arbori infecundus. Singularem a Noſtro ſaepiſſime numero plurali praelatum eſſe recordabuntur legentes. Sic in hiſtoricorum libris centies: *militem* legere, pro *milites* dicitur.

coelo, terra penuria aquarum. Nec pluvia, nec fluviatili irrigatur aqua. Eodem fere modo Curtius IV. 7. terra coeloque aquarum penuria eſt.

Plerosque ſenectus diſſolvit — Neque ſacris literis, neque germanae linguae inuſitata mortis naturalis ſignificatio. Et ſomno et morte *ſolvi* dicuntur mortales. Ad eandem notionem ſignificandam utuntur

teriere: nam morbus haud ſaepe quemquam ſuperat. Ad hoc malefici generis plurima animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique poſtea acceſſerint, aut quomodo inter ſe permixti ſint; quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, diverſum eſt: tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempſalis dicebantur, interpretatum nobis eſt; utique rem ſeſe habere cultores ejus terrae putant, quam pauciſſumis dicam. Ceterum fides ejus rei penes auctores erit.

CAPVT XVIII.

Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, aſperi, inculti; quis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, neque imperio cujusquam re-

verbis: *obire, occumbere, exanimari, exſpirare, defungi, diem obire ſupremum.*

Sed qui mortales initio Africam habuerint — qui primi fuerint Afr. incolae. Nam *habere* idem h. l. est, quod *poſſidere, obtinere, incolere, occupaviſſe.* Sic etiam Cap. XVIII. 1.

quae plerosque obtinet — quae pervulgatiſſima eſt; a plerisque pro vera habetur. Nam fama *obtinet* homines, ſi valet apud eos. Sic Livius I. 4. *tenet* fama.

interpretatum nobis eſt: Paſſive, ut ſupra Cat. VII. 3. *adepta* libertate; et Iugurth. CI. „prope jam *adeptam* victoriam, et ſic apud Plautum et Ciceronem ſaepius.

utique — et ita uti — ſic ut.

ſides e. r. penes auct. erit. Veritatem narrationis ipſi praeſtent auctores.

Cap. XVIII. *Moribus* regi dicuntur gentes, apud quas majorum vetuſtate ſancitae conſuetudines legum auctoritatem habent, quamvis literarum

gebantur: vagi, palantes, qua nox coegerat, ſedes habebant. Sed poſtquam in Hiſpania Hercules, ſicuti Afri putant, interiit; exercitus ejus, compoſitus ex variis gentibus, amiſſo duce, ac paſſim multis, ſibi quîque, imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Perſae et Armeni, navibus in Africam transvecti, proxumos noſtro mari locos occupavere. Sed Perſae intra Oceanum magis; iique alveos navium inverſos pro tuguriis habuere; quia neque materia in agris, neque ab Hiſpanis emundi, aut mutandi copia erat. Mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gaetulos miſcuere: Et quia ſaepe

monumenta deſint. Sic apud Germanos, Tacito teſte, plus olim valuere boni mores, quam alibi bonae leges.

qua nox coegerat — qua locorum parte, inclinata die, congregati forte erant, ibi, quum nec domicilia, nec ſedem certam haberent, pernoctabant.

poſtquam in Hiſpania Hercules interiit, quem nonnulli incolumem in Italiam reverſum eſſe tradunt. Plures autem virtute ac robore inſignes antiquitatis viros *Hercules* nominatos eſſe conſtat. *Cicero* enim *ſex*, *Varro* quadraginta quatuor hujus nominis heroas numerat,

ignara lingua recte a Nonio per *incognitam* circumſcribitur. Non enim homines tantum, qui res ignorant, dicuntur *ignari*, ſed ipſa etiam res ignorata hoc adjectivo ſignificatur. Sic Ovidius: proles *ignara* parenti. Et Noſter Cap. XCIII. more humani ingenii *ignara* viſundi.

Gaetulos miſcuere. Et auctoritate membranarum, et exemplorum copia fretus τὸ *ſecum* expulit praeſt. Cortius. Nam et *adjungere*, et *miſcere*, ac ſimilia verba, nullo addito caſu, inveniuntur. Eſt enim *miſcere Gaetulos* — adſciſcere eos in gentem.

tentantes agros, alia, deinde alia loca petiverant, ſemet ipſi Numidas adpellavere. Ceterum adhuc aedificia Numidarum agreſtium, quae mapalia illi vocant, oblonga, incuruis lateribus tecta, quaſi navium carinae ſunt. Medis autem et Armenis acceſſere Libyes (nam hi propius mare Africum agitabant; Gaetuli ſub ſole magis, haud procul ab ardoribus) hique mature oppida

tentantes agros, agrorum naturam perveſtigantes.

ſ. i. Numidas adpellavere. Vt omnis haec Africanarum gentium deſcriptio fabuloſa magis, et conjecturis parum probabilibus nixa eſſe, quam certam veritatem habere videtur: ſic mihi quidem verisimile non eſt, gentes illas a graeco verbo νεμειν (*paſcere, colere*) nomen ſibi dediſſe. Quid? quod iisdem navibus, quibus in Africam erant transvecti, in Hiſpaniam reverti potuiſſent. Quomodo autem linguae inſcitia commercium prohibere potuerit, non facile intelligitur, ſi verum eſt, Herculem in Hiſpania mortuum eſſe, ubi vel incolarum ſermonem addiſcere, vel captivos quosdam ſecum in Africam deducere potuiſſent. Sed quantis nubibus involuta ſit Herculis hiſtoria, tironibus etiam notiſſimum eſt. Qui quum natione Graecus fuiſſe credatur, quomodo *Medos, Perſas* et *Armenos* in exercitu ſuo habere potuerit, parum liquet.

Gaetuli ſub ſole magis etc. Spiſſa obſcuritatis nube hic etiam locus premitur. Nam 1) ſi Gaetuli ſub ſole magis, haud procul ab ardoribus, habitarunt, quomodo Perſae, quos „*proximos ſupra mari mediterraneo locos*“ occupaſſe narravit, „*per connubia Gaetulos miſcere* potuerunt? Nonne eandem, in qua *Medi* habitaſſe dicuntur, ſedem Perſae quoque obtinuerunt? Illos enim *propius* mare Africum agitaſſe (h. e. vixiſſe) narrat. 2) Si nullam Perſae habebant in agro materiem, neque ab Hiſpanis emundi copiam: “ quomodo Medi, qui eandem fere Africae partem incoluiſſe dicuntur, oppida mature habere potuerunt?

hique mature oppida habuere. Pronomen *hi*, tam prius quam poſterius, quamvis primo intuitu ad nomen *Libyes* referendum videatur, tamen ad *Medos* ſine dubio reſpicit,

habuere. Nam freto diviſi ab Hiſpania mutare res inter ſe inſtituerant. Nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros, pro Medis, adpellantes. Sed res Perſarum brevi adolevit: ac poſtea nomine Numidae, propter multitudinem a parentibus digreſſi, poſſidere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia adpellatur. Dein utrique alteris freti finitumos armis aut metu ſub imperium cogere, nomen gloriamque ſibi addidere; magis hi, qui ad no-

quia mox additur: *Nomen eorum paullatim Libyes corrupere*, barbara lingua (h. e. ſua lingua) *Mauros* pro *Medis* adpellantes. Quae nominis mutatio quomodo fieri potuerit, docte explicat Cortius. Statuit enim ex Graeco ſcribendi more Μαιδοι — *Maedos* ſcribendum eſſe, additque, et exemplo confirmat, literas I et V, D et R ſaepiſſime commutari; e. g. *arverſarius* pro *adverſarius* veteribus in uſu fuiſſe.

mutare res inter ſe inſtituerant. Quum enim neque nummi excuſi eſſent, nec certum quoddam lapidibus, metallis aliisque rebus pretium conſtitutum eſſet, *mutatio peculii, frugum, pecudum, lanae* etc. unicum erat commercii genus. Hinc etiam poſt inventum metalli nummorumque uſum *mutare* pro *emere* et *vendere* dictum eſt.

Sed res Perſarum brevi adolevit. Respublica quaſi cum juvene comparatur, cujus paulatim vires creſcunt atque corroborantur. — Sed qui Perſarum hiſtoriam ex hoc loco diſcere vellet, pro Junone nubeculam amplecteretur.

loca, quae proxume Carthaginem Numidia adpellatur. Similiter pluribus in locis verbum, quod referri debuiſſet ad *ſubjectum ejusque numerum*, conjungitur cum praedicato. E. g. Terent. Andr. Act. III. Sc. III. 23. „amantium *irae* amoris *integratio eſt.*“ Et noſter Cat. LV. 3. „Eſt *locus* in carcere, *quod Tullianum* adpellatur.“

Dein utrique — Et illi, qui, *cum Gaetulis mixti*, propter multitudinem a liberis relicti erant, *et* eorum liberi, qui ad mare mediterraneum proceſſerant.

ſtrum mare proceſſerant: quia Libyes, quam Gaetuli, minus bellicoſi: Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis poſſeſſa eſt; victi omnes in gentem nomenque imperantium conceſſere.

CAPVT XIX.

[Continuata Africae, urbiumque ibi conditarum deſcriptio.]

Poſtea Phoenices alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii cupidine, ſollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbis in

Africae pars inferior — quae ad maritimam oram vergit. *Interiorem* contra adpellant eam, quae a finibus eſt remotior.

victi omnes in gentem nomenque imperantium conceſſere — Concedere dicuntur gentes in nomen victorum, ſi, amiſſo ſuo, nomen illorum adſumunt.

Cap. XIX. *Poſtea Phoenices — condidere.* Vel fontium penuria, vel incuria quadam, nec priſcorum Phoenicum hiſtoriam paucis enarrat, nec finitimarum gurthae hiſtoriam multum conferre videtur. Nam neque peritioribus, nec imperitis facile ſufficiet.

Hipponem. Duo hujus nominis oppida celebrantur, de quibus vide Strabonem l. XVII. Hoc autem loco illam regni Tunetani urbem, quam *Biſertam* hodie dicunt, intelligendam eſſe cenſent interpp.

Hadrumetum oppidum maritimum, in Africa propria ſitum, hodie vel *Tulba*, vel *Siſſa Nigra* dictum. Fuere qui ſcriberent: Adrimetum. Sed doctiſſ. Cortius illud ad numorum et lapidum ſcripturam proxime accedere obſervat.

Leptim puta minorem, inter *Adrumetum* et *Thapſum* ſitam,

ora maritima condidere: Haeque brevi multum auctae, pars originibus praesidio, aliae decori fuere. Nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere: quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, secundo mari, prima Cyrene est, colonia Thereon, ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis: dein Philenon araе, quem, Aegyptum versus, finem imperii habuere Carthaginienses: post aliae Punicae urbes. Cetera loca usque ad Maureta-

quae a *majori*, inter Syrtes sita, distinguenda est.

pars — fuere. Aliae iis urbibus, e quibus deductae erant coloniae, opem in bello tulerunt, aliae, quarum auxilio μητροπολεις superfedere poterant, debitum certe illis, tamquam matribus, honorem praestitere. — Hujuscemodi *metropoles origines* h. l. vocantur. Vid. Liv. XXXVIII. Cap. 39. Sic Tacitus de Germ. Cap. II: „Celebrant carminibus antiquis *Tuistonem* Deum, terra editum, et Mannum *originem* gentis conditoresque.

Ad Catabathmon — — prima Cyrene est — prope Catabathmon, *secundo mari*, Cyrene sita est. Secundo mari, h. e. ita, ut, post Cyrenen, mare ad Catabathmon proxime, tanquam secundo loco, accedat.

Cyrene in Pentapoli, seu Cyrenaica, sita, ubi nunc temporis *Karvan* in tabulis geographicis invenitur. De Cyrenensium imperio vid. infra LXXIX. Confer. Strabo XVII, p. 575.

Colonia Thereon. Sic, Graecorum Θηραιων imitatus, pro *Theraeorum*, et mox *Philenon* scripsit pro: Philenorum. — Aristaeus quidam, sive Aristoteles, cognomine *Battus*, ab insula *Thera* profectus, urbem illam, vel a monte *Cyra*, vel a puella *Cyrene* nominatam condidit. Vid. Iustin. XIII, 7.

duae Syrtes, quarum descriptionem lege infra Cap. LXXVIII, ubi Lepitanorum etiam mentionem fecit.

Philenon araе. Vid. locus modo citatus, ubi res omnis exposita est. Erant enim *Phileni* duo fratres, in quorum sempiternam memoriam araе ibi exstruebantur.

niam Numidae tenent: proxume Hiſpaniam Mauri ſunt: ſuper Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare: poſt eos Aethiopas eſſe: dein loca exuſta ſolis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginienſium, quos noviſſume habuerant, populus Romanus per magiſtratus adminiſtrabat: Gaetulorum magna pars et Numidia usque ad flumen Mulucham ſub Iugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen, cetera ignarus populi Romani; itemque nobis neque bello, neque pace antea cognitus. De Africa et ejus incolis ad neceſſitudinem rei ſatis dictum.

CAPVT XX.

[Iugurtha, cui per legatos populi Romani melior Africae pars adtributa erat, ne his quidem imperii finibus contentus, Adherbalis quoque provinciam armatus invadit, praedaque multa in ſuum regnum abacta, timidum et quietum Adherbalem laceſſit.]

Poſtquam, regno diviſo, legati Africa discesſere, et Iugurtha contra timorem animi praemia ſceleris adeptum ſeſe videt; certum ratus, quod

Cap. XX. *praemia ſceleris*, „impunitatem, et dimidiam, pro tertia, melioremque ſimul, Africae partem.“

Romae venalia esse; simul et illorum pollicitationibus accensus, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer, bellicosus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus injuriae, metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviso finis ejus cum magna manu invasit: multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit. Dein cum omni multitudine in regnum suum convertit, existumans dolore permotum Adherbalem injurias suas manu vindicaturum, eamque rem belli caussam fore. At ille quod neque se parem armis existumabat, et amicitia populi Romani magis, quam Numidis fretus erat; legatos ad Iugurtham de injuriis questum misit: qui tametsi contumeliosa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decre-

in regnum A. animum intendit — cupiditate illud complexus est. Intenditur enim animus in rem optatam, qua omni virium contentione potiri studemus.

quem petebat — *Adherbal. Petimus hostem* telis, *regnum* impetu violento, dolo etc. *locum*, *urbem* eundo. „Est igitur verbum violentum, aut omnino *quaerentis* actionem significans.

Opportunus injuriae dicitur, qui ei vel resistere non audet propter animi timiditatem, vel viribus ad propulsandam injuriam destitutus est, vel adsuefactus perferendae injuriae defensionem negligit. Ex adjectis vocibus: *metuens magis quam metuendus* patet, hoc loco primam significationem simul cum secunda intelligendam esse. Cfr. Seneca de Clement. Cap. VIII.

vit, quam bellum ſumere: quia tentatum antea ſecus ceſſerat. Neque tamen eo magis cupido Iugurthae minuebatur: quippe qui totum ejus regnum animo jam invaſerat. Itaque non, ut antea, cum praedatoria manu, ſed magno exercitu comparato bellum gerere coepit, et aperte totius Numidiae imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbis, agros vaſtare, praedas agere; ſuis animum, terrorem hoſtibus augere.

CAPVT XXI.

[Adherbal, vicini injuriis ad bellum coactus, Iugurthae cum exercitu obviam profectus, haud procul ab urbe Cirta noctu e caſtris pellitur, et, parva equitum manu comitante, Cirtam petit, quae ſtatim a Iugurtha oppugnatur. Senatus autem legatos in Africam mittit, qui reges ab armis discedere jubeant.]

Adherbal ubi intellegit, eo proceſſum, uti regnum aut relinquendum eſſet, aut armis reti-

bellum ſumere, i. q. arma ſumere, ut infra LXXXIII. 1. „Omne bellum *ſumi* facile, ceterum aegerrume deſinere.“

tentatum, ſc. bellum, *ſecus*, ſc. ac voluerat, h. e. male ceſſerat. Sic Plin. Panegyr. XLIV, „bene aut ſecus.“

animo jam invaſerat. Quaecunque enim cum vehementiore quodam animi impetu facturus eſt homo, ea praecipere *animo* poteſt. Sicuti noſtrates: *im Geiſte*, *in Gedanken bekriegen*, ita Noſter, et Corn. Nepos Hannib. I, „qui quidem, cum patria pulſus eſſet, — nunquam deſtiterit *animo bellare* cum Romanis.“

praedas agere. *Aguntur* et *incedunt* pecora, *mancipia*, *ſervi* — reliqua feruntur. Hinc dicitur: *agere et ferre hoſtilia*.

nendum, neceſſario copias parat et Iugurthae obvius procedit. Interim haud longe a mari, prope Cirtam oppidum utriusque conſedit exercitus: et quia die extremum erat, praelium non inceptum. Vbi plerumque noctis proceſſit, obſcuro etiam tum lumine, milites Iugurthini, ſigno dato, caſtra hoſtium invadunt; ſemiſomnos partim, alios arma ſumentes fugant funduntque: Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit, et ni multitudo togatorum fuiſſet, quae Numidas inſequentes moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum

Cap. XXI, *neceſſario* — coactus. Abeſſe quidem poſſet adverbium iſtud, quum ex antecedentibus pateat, Adherbalem invitum arma ſumſiſſe. Sed praeferendum ſine dubio videbitur voci *neceſſarias*.

haud longe a mari, prope Cirtam oppidum etc. Haec repugnare videntur deſcriptioni Strabonis et Melae, qui *Cirtam procul a mari* ſitam eſſe referunt. *Cortius* autem ita putat conciliari poſſe locorum differentiam, ut ſtatuatur, exercitus inter mare et Cirtam conſediſſe, nec ab utroque longe abfuiſſe.

die extremum pro: *diei extremum* (ſc. tempus) uti ſupra Cap. XVI. *fide* pro fidei. Sic e codd. mſſ. fide digniſſimis exhibuit diligentiſſimus Cortius, eumque loquendi uſum pluribus exemplis confirmavit.

fugant funduntque. Sic infra Cap. LVIII. „eos maxuma vi caedere, *fundere* atque *fugare*.“ E quibus exemplis patet diverſam eſſe horum verborum ſignificationem. Et ſecundum Cortium quidem fugare eſt: *in fugam pellere omnino*, *fundere* autem: ferire atque projicere.

togatorum — Romani omnino, propterea quod veſte ad pedes usque pertingente, quam togam vocabant, utebantur, *togati* ſive *gens togata* dicuntur. Hic autem *mercatores* et *peregrinantes* intelligendi ſunt. Nam in pace *toga*, in bello induti erant *ſago*.

uno die coeptum atque patratum bellum foret. Diſſentit a Noſtro *Florus* I. Cap. XI, qui

foret. Igitur Iugurtha oppidum circumfedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare adgreditur: maxume feſtinans tempus legatorum antecapere, quos, ante praelium factum, Romam Adherbale miſſos audiverat. Sed poſtquam Senatus de bello eorum accepit, (tres adoleſcentes) in Africam legantur, qui ambo reges adeant, Senatus populique Romani verbis nuncient, *Velle et cenſere, eos ab armis diſcedere: de controverſiis ſuis jure potius, quam bello diſceptare: ita ſeque illisque dignum fore.*

„bellum *intra quindecim dies* coeptum peractumque eſſe narrat.“ Cfr. Tacit. Annal. XII. Cap. XVI. extrem. Ac ni proelium, inquit, nox diremiſſet, coepta patrataque *expugnatio* eundem intra diem foret.

Patrare bellum i. q. conficere, ſeu perficere.

vineis turribusque et machinis omnium generum. His et ſimilibus inſtrumentis, qualia fuere *balliſtae*, *muſculi*, *arietes*, *catapultae*, *ſcorpiones*, partim ad tuendos milites urbem oppugnaturos, partim ad ipſam expugnationem, ſubruendosque muros, utebantur, quae *Vegetius de re militari veterum* latius deſcripſit. „Conſtabat autem *vinea* lignis, tecto quodam inter ſe junctis, quorum latera vimine munita erant. Ligna priora viri ſtaturam et dimidiam longa; poſteriora deſinebant in viri tantum ſtaturam.“ *Turres* vero ex trabibus et tabulis (frontibus ferro, aut centonibus et coriis circumdatis) exſtructae murorum altitudinem aequabant aut excedebant; ambulatoriae interdum, ſaepe fixae. — Haec in tironum gratiam ad verbum fere deſcripſimus.

Velle et cenſere. Verba ſolennia, quibus et populi voluntas et ſenatus auctoritas declaratur. Nam quae *voluerat* populus, ea ſenatus facienda *cenſuerat.*

CAPVT XXII.

[Legati, audito proelii facti rumore, festinanter ad Iugurtham proficiscuntur, qui Adherbalem sibi insidiatum esse mentitur, seque legatos brevi Romam missurum policetur.]

Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de praelio facto et oppugnatione Cirtae audiebatur. Sed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione respondit: *Sibi neque majus quidquam, neque carius auctoritate Senati: ab adolescentia ita enisum, uti ab optumo quoque probaretur: virtute, non malitia P. Scipioni, summo viro, placuisse: ob easdem artis ab Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum: Ceterum quo plura bene atque strenue feciſſet, eo animum suum injuriam minus tolerare: Adherbalem dolis vitae suae insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri obviam isse: populum Romanum neque recte, neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerint: postremo de om-*

Cap. XXII. *rumor clemens erat*: non valde atrox fuisse proelium narrabatur.

ob easdem artis — ob hanc animi indolem; saepissime enim virtutes, in quibus nemo, nisi qui eas diligenter exerceat, proficere potest, *artes* dicuntur.

sceleri obviam isse, idem est, quod apud Iustinum *occupare insidias* h. e. adgredi nocituram, priusquam damnum adferre possit.

pro bono — bene. Sic *pro vero* constat; *pro comperto* fuit.

nibus rebus legatos Romam brevi missurum. Ita utrique digrediuntur. Adherbalis adpellandi copia non fuit.

CAPVT XXIII.

[Iugurtha, legatis Romam regressis, Cirtam oppugnare pergit, e qua duo iterum legati noctu evadunt, Adherbalis causam apud Quirites acturi.]

Iugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque propter loci naturam Cirtam armis expugnare potest; vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit, easque praesidiis firmat, praeterea dies, noctes aut per vim, aut dolis tentare, defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare, suos hortando ad virtutem erigere: prorsus intentus cuncta parare. Adherbal ubi intellegit, omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse; ex his, qui una Cirtam profugerant, duo maxume impigros delegit, eos multa pollicendo, ac miserando casum suum confir-

Adherbalis adpellandi copia non fuit — cum Adherbale colloquendi occasio non est data.

Cap. XXIII. *Aut per vim, aut dolis tentare.* — Verbum tentare sine adjecto casu interdum ponitur; potest tamen suppleri vel *urbs*, vel *expugnatio*.

Formidinem ostentare. Acerbissimos cruciatus minitando formidinem iis incutiebat.

mat, uti per hoſtium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

CAPVT XXIV.

[Adherbalis litterae, per legatos Romam allatae, in ſenatu recitantur.]

Numidae paucis diebus juſſa efficiunt: litterae Adherbalis in ſenatu recitatae, quarum ſententia haec fuit.

Non mea culpa ſaepe ad vos oratum mitto, Patres conſcripti, ſed vis Iugurthae ſubigit: quem tanta lubido exſtinguendi me invaſit, uti neque vos, neque deos immortalis in animo habeat, ſanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam menſem ſocius et amicus populi Romani armis obſeſſus

Cap. XXIV. *Quem tanta lubido exſtinguendi me invaſit, uti neque Vos, neque deos immortalis in animo habeat* etc. Attendant juvenes ad eximiam vel Adherbalis, vel Criſpi artem, qua Romanorum iram et indignationem excitare, ſimulque benevolentiam eorum, quibus ſecundum a Diis immortalibus locum tribuit, lenociniis captare ſtudet. Quum enim illa ipſa vicini regis exſtinguendi lubido inviſum reddere poſſet Iugurtham, tum vero contemtus Romanorum non potuit ambitioſo ſenatui non displicere.

ſocius et amicus populi Romani — quamvis ſocius ſim et amicus populi Romani, quem nemo laedere poſſe videtur, niſi qui Veſtram ſimul majeſtatem contemnere audeat. Et quo turpiorem veluti notam Iugurthae inurat, ingratum ejus animum verbis ſequentibus reprehendit:

„Neque mihi *Micipſae patris beneficia*, neque Veſtra decreta auxiliantur.

teneor: neque mihi Micipſae patris beneficia, neque veſtra decreta auxiliantur, ferro, an fame acrius urgueor, incertus ſum. Plura de Iugurtha ſcribere, dehortatur fortuna mea: etiam antea expertus ſum, parum fidei miſeris eſſe. Niſi tamen intellego, illum ſupra, quam ego ſum, petere, neque ſimul amicitiam veſtram, et regnum meum ſperare: utrum gravius exiſtumet, nemini occultum eſt. Nam initio occidit Hiempſalem fratrem meum: dein patrio regno me expulit.

dehortatur fortuna mea — diſſuadet praeſens rerum mearum conditio.

Etiam antea expertus ſum, parum fidei miſeris eſſe. — Quae hisce verbis, per ſe quidem veriſſimis, ineſt acerbitas, etſi Romanos offendere potuiſſet, ob eamque rem melius abeſſe videatur, tamen in miſera viri oppreſſi conditione non mirum eſt, quod in litteras irrepſit iſtiusmodi ſententia.

Niſi tamen intellego, illum etc. Quo ſuſpectiorem Romanis reddat Iugurtham, ipſis quoque hunc regem infeſtum fore innuit. — Haec autem verba in quibusdam codd. (ab interprete explanata) ſic inveniuntur: *niſi tamen quod intelligo.* Quum enim antea negaſſet, plura in praeſenti rerum ſtatu ſcribere ſe poſſe, nunc addit: niſi tamen (hoc unum) quod intellego. Haec autem adverſativae particulae cum exceptiva conjunctio nemini a linguae latinae ingenio abhorrere videbitur, qui meminerit conjunctionum: *at enim, at eninvero*, et ſimilium.

ſupra, quam ego ſum, petere, non mei regni finibus fore contentum, ſed amplius imperium hoſtiliter invaſurum eſſe.

neque — ſperare: et perſuaſum ſibi jam habere, regno meo hoſtiliter occupato, in veſtra amicitia ſe permanere non poſſe.

utrum gravius exiſtumet, nemini occultum eſt. Regnum meum amittere gravius (detrimentum) exiſtumat, quam veſtram amicitiam deſerere.

Quae ſane fuerint noſtrae injuriae, nihil ad vos. Verum nunc veſtrum regnum armis tenet: me, quem imperatorem Numidis poſuiſtis, clauſum obſidet: legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid reliquum, niſi vis veſtra, quo moveri poſſit? Nam ego quidem vellem, et haec, quae ſcribo, et quae antea in Senatu queſtus ſum, vana forent potius, quam miſeria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus ſum, ut Iugurthae ſcelerum oſtentui eſſem, non jam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor.

Quae ſane fuerint noſtrae injuriae, nihil ad vos. Sed has injurias nobis (mihi) illatas eſſe, nec ad Vos pertinere concedo.

Nam — faceret. Latini ſaepiſſime particulis cauſalibus — *nam, enim* — ita utuntur, ut ad omiſſam aliquam enunciationem, a nobis pro linguae noſtrae natura ſupplendam, reſpiciant. Sic etiam hoc loco ſupplemus:

Equidem vim veſtram invitus, et neceſſitate coactus, imploro. Nam etc.

ut Iugurthae ſcelerum oſtentui eſſem; ut, tamquam opportunus Iugurthae ſceleribus, ab eo peterer. — Nam *oſtentus ſcelerum* eſt homo, in quo alii ſcelera oſtendunt.

non jam mortem, neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Mihi quidem haec verba cum moribus ac tota viri timidi indole, qui „*prius omnia pati decreverat, quam bellum ſumere*“ (vid. Cap. XX.) parum convenire videntur. Sed omni ratione, qua miſericordiam Romanorum excitare poterat, ſatis callide utitur.

inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Ambiguitate quadam hic locus laborat. Poteſt enim vel ita intelligi: *nolite concedere, ut, me interfecto, inimicus imperio Numidiae potiatur;* vel etiam: ne patiamini, me inimici imperio (juſſu) cruciatibus corporis adfligi.

Regno Numidiae, quod vestrum est, uti lubet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per majestatem imperii, per amicitiae fidem, si ulla apud vos memoria avi mei Masinissae.

CAPVT XXV.

[Diversa Romanorum et Iugurthae legatorum consilia. Mittuntur in Africam viri genere, aetate, dignitate nobiles, in his M. Scaurus, vir consularis, princeps senatus, qui, litteris ad Iugurtham missis, animum ejus aliquamdiu perturbant, ad postremum tamen frustra discedunt.]

His litteris recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quamprimum Adherbali subveniundum: de Iugurtha interim uti consuleretur, quoniam non paruisset legatis. Sed ab isdem regis fautoribus summa ope enisum, ne decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam majores natu, nobiles, amplis honoribus: in quis M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis, et

Cap. XXV. *de Iugurtha interim uti consuleretur* — sc. quali poena esset adficiendus.

Legantur tamen in Africam majores natu etc. Quamvis fautores regis, ne quid omnino decerneretur, enixi erant, eamque ob causam exercitus non mittebatur, tamen majores natu, quippe qui corruptelae non tam facile obnoxii putarentur, in Africam missi sunt.

tum Senati princeps. Hi, quod in invidia res erat ſimul, et ab Numidis obſecrati, triduo navim eſcendere: dein brevi Vticam adpulſi litteras ad Iugurtham mittunt, QVAM OCISSVME AD PROVINCIAM ACCEDAT; SEQVE AD EVM AB SENATV MISSOS. Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audiverat, contra inceptum ſuum veniſſe: primo commotus, metu atque lubidine divorſus agitabatur. Timebat iram Senati, (ni paruiſſet legatis:) porro animus cupidine caecus ad inceptum ſcelus rapiebat. Vicit tamen in avido ingenio pravum conſilium. Igitur, exercitu circumdato,

quod in invidia res erat ſimul, et ab Numidis obſecrati etc. quod non modo omne negotium, iis demandatum, ſi quidquam peccarent, invidiam excitare poterat, ſed quod a Numidis etiam, calamitate preſſis, invitati erant.

eſcendere. Verbum Salluſtio valde uſitatum, quod etiam occurrit apud Corn. Nepotem in Themiſt. VIII. 6.

Vticam adpulſi. De cujus urbis origine vid. Iuſtinus XVIII. 4.

quam ociſſume ad provinciam accedat: Ociſſume, ſuperl. adverbii *ociter*, ab ὠκυς derivari putant. *Ad* dicitur interdum pro: *in; ad portum, ad villam* pro: in portum etc.

divorſus agitabatur — modo in hanc, modo in illam ſententiam trahebatur; diverſa agitabat conſilia. Obſervent juvenes, adjectivum illud, quod ad mentis conſilia pertineat, hoc loco ad ipſum hominem referri.

porro animus cupidine caecus ad inceptum ſcelus rapiebat. Porro h. l. eſt noſtrum: *von der andern Seite.* Hac enim particula viciſſitudinem diverſorum, ſibique repugnantium conſiliorum et factorum ſignificant. Conf. Iuſtin. II. 10.

rapiebat — cum vehementia ſtimulabat.

exercitu circumdato — circum moenia ducto. Nam utrumque dicitur: *exercitu circumdare*

ſumma vi Cirtam irrumpere nititur, maxume ſperans, diducta manu hoſtium, aut vi, aut dolis ſeſe caſum victoriae inventurum. Quod ubi ſecus procedit, neque, quod intenderat, efficere poteſt, uti prius, quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tamen etſi Senati verbis minae graves nunciabantur, quod oppugnatione non deſiſteret; multa tamen oratione conſumta, legati fruſtra discedere.

CAPVT XXVI.

[Audito legatorum abitu, Adherbal, ſuadentibus Italicis, qui urbem defenderant, quamquam invitus, Iugurthae ſe tradit, a quo et ipſe poſtea et pars juventutis interficitur.]

Ea poſtquam Cirtae audita ſunt, Italici, quorum virtute moenia defenſabantur, confiſi, de-

moenia, vid. Cap. XXIII. et circumdare exercitum Liv. XXII. cap. 42.

ſeſe caſum victoriae inventurum — h. e. opportunam victoriae de hoſtibus reportandae occaſionem. Sed quamvis eadem ſimiliter voce Livius IV. 27. uſus eſt, tamen ipſa *fortuiti caſus* notio mihi quidem reliquis adjectis vocibus repugnare videtur. Non enim intelligo, quomodo quis *dolo caſum* invenire poſſit. Expeditur autem haec difficultas, ſi *caſum victoriae* nihil aliud quam *victoriam ipſam*, quae ſemper aliquo modo fortuita eſt, ſignificare ſtatuimus. Sed cur non potius ſimplicem hanc vocem poſuit Noſter?

Quod ubi ſecus procedit, ſc. ac ſperaverat.

CAP. XXVI. *Italici* — quos ſupra nominavit *togatos*, erant

ditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos ſeſe fore, Adherbali ſuadent, uti ſeque, et oppidum Iugurthae tradat: tantum ab eo vitam paciſcatur, de ceteris Senatui curae fore. At ille, tametſi omnia potiora fide Iugurthae rebatur; quia penes eosdem, ſi advorſaretur, cogendi poteſtas erat, ita, uti cenſuerant Italici, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: dein omnis puberes Numidas et negotiatores promiſcue, uti quisque armatis obvius, interfecit.

CAPVT XXVII.

[Amici Iugurthae, tempus trahendo, poenam ab eo-

illi negotiatores, qui tum forte in Africa verſabantur.

tametſi omnia potiora fide Iugurthae rebatur. Potiora h. l. eſt noſtrum *zuverläſſiger*. Nam quaecunque aliis rebus praeſtant, ea vocantur *potiora*; ſed, quomodo verti debeant hujusmodi vocabula, ex toto orationis contextu certiſſime intelligitur. Hoc autem loco, quum de remediis ſalutis ſermo ſit, *potiora* ſunt *certiora*, quibus maxime confidere poſſumus. Senſus igitur eſt: quum nulli rei minus, quam Iugurthae fidei crederet.

quia penes eosdem, ſi advorſaretur, cogendi poteſtas erat: quia negotiatores illi, ſi ipſe reſiſteret, nec Iugurthae urbem tradere vellet, cogendi poteſtatem habebant.

Ita, uti cenſuerant Italici etc. Mihi quidem haec verba, niſi omnes omnino Codd. ea defenderent, ſpuria viderentur. Sunt enim ſuperflua et prorſus otioſa. Quod ad vocem *Italici* attinet, habeo certe conſentientem Cortium, virum omni mea laude majorem, qui „*illam*, inquit, *et putidam eſſe, et Gloſſatorum, quovis pignore contenderem.*“ — Neque minus mirum videbitur legentibus, quod illi negotiatores tantam vim potuerint in Adherbalem exercere.

dem avertere ſtudent, quod procul dubio perfeciſſent, niſi *Memmius*, trib. pl. deſignatus, ſollicitata plebe, metum injeciſſet Senatui. Itaque provinciae futuris Coſſ. decernuntur; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia.]

Quod poſtquam Romae cognitum, et res in Senatu agitari coepta, idem illi miniſtri regis interpellando ac ſaepe gratia, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius, tribunus plebis deſignatus, vir acer et infeſtus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuiſſet, ID AGI, VTI PER PAVCOS FACTIOSOS IVGVRTHAE SCELVS CONDONARETVR, profecto omnis invidia prolatandis conſultationibus dilapſa erat. Tanta vis gratiae, atque pecuniae regis. Sed ubi Senatus delicti conſcientia populum timet; lege Sempronia pro-

CAP. XXVII. *idem illi miniſtri regis* — iidem illi, qui favebant Iugurthae, ejusque cauſam agebant.

ſaepe gratia, interdum jurgiis — ſaepe lenibus verbis, et ea, qua pollebant, gratia, interdum vehementiori disceptatione tempus decreti prolatare ſtudebant.

dilapſa erat. Saepiſſime hiſtoricos, noſtrum inprimis, indicativo in propoſitione conditionali uſos eſſe, neminem facile fugiet. Sic Florus IV. 2. „Et *peractum erat*, inquit, bellum ſine ſanguine, ſi Pompejum opprimere Brunduſii potuiſſet.“

lege Sempronia — C. Sempronii Gracchi, qua praecipiebatur, ut quotannis ante comitia conſularia deſignandis conſulibus duae provinciae decernerentur, quas propterea conſulares vocabant. Decretis autem a ſenatu copiis rebusque neceſſariis, Conſules provincias illas pro lubitu comparare inter ſe, aut ſorte dividere poterant.

vinciae futuris Conſulibus, Numidia atque Italia decretae: Conſules declarantur P. Scipio Naſica, L. Beſtia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. Deinde exercitus, qui in Africam portaretur, ſcribitur: ſtipendium, alia, quae bello uſui forent, decernuntur.

CAPVT XXVIII.

[Iugurtha iterum, audita rerum Romae geſtarum fama, filium duosque ejus familiares ad Senatum mittit, qui fruſtra in Africam revertuntur. Sequitur mox, Calpurnio duce, victor exercitus.]

At Iugurtha, contra ſpem nuncio accepto, quippe cui, Romae omnia venum ire, in animo haeſerat; filium, et cum eo duo familiaris ad Senatum legatos mittit: hisque, ut illis, quos, Hiempſale interfecto, miſerat, praecepit, *omnis mortalis pecunia adgrediantur*. Qui poſtquam Romam adventabant, Senatus a Beſtia conſultus: PLACERETNE LEGATOS IVGVRTHAE RECIPI MOENIBVS, iique decrevere: *niſi regnum, ipſumque deditum veniſſent, uti in diebus (proxumis) decem Italia decederent*. Conſul Numidis ex Senati decreto nunciari jubet. Ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Cal-

CAP. XXVIII. *Senatus conſultus — iique decrevere.* Meminerint legentes ſimilis verborum conſtructionis in Cat. XVI: „*Iuventutem* mala facinora edocebat. Ex *illis*“ etc.

purnius, parato exercitu, legat ſibi homines nobilis, factioſos, quorum auctoritate, quae deliquiſſet, munita fore ſperabat: in quis fuit Scaurus, cujus de natura et habitu ſupra memoravimus. Nam in Conſule noſtro multae bonaeque artes animi et corporis erant: quas omnis avaritia praepediebat. Patiens laborum, acri ingenio, ſatis providens, belli haud ignarus, firmiſſumus contra pericula et inſidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae. Igitur Calpurnius initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingreſſus eſt, multos mortalis, et urbis aliquot pugnando capit.

CAPVT XXIX.

[Attamen et Calpurnius, cujus virtutes avaritia ſu-

Cujus de natura et habitu. naeque artes animi et corporis erant: quas omnis avaritia praepediebat. Tam bonos, quam malos animi habitus, ſive a natura ſive a conſuetudine profectos, *artium* nomine ſignificari, pluribus belli Catilinarii locis ſupra probatum eſt. *Praepedire τῷ ἐμποδὼν εἶναι* Graecorum reſpondet. Quo minus bona Calpurnii indoles conſpicuam ſe reddere poſſet, impediebat avaritia. Interdum habet ſignificationem verbi *prohibere*. Dictys I. 10. deſiderium a recto conſilio praepediebat.

Et naturalem hominis conditionem, et conſuetudine uſuque partam ſignificat vox *habitus*, de qua hisce verbis diſſerit Cicero I. de invent. p. 50. „*habitum* adpellamus animi aut corporis conſtantem et abſolutam aliqua in re perfectionem, aut virtutis, aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis ſcientiam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, ſed ſtudio et induſtria comparatam.“

in Conſule noſtro multae bo-

perabat, pecunia regis corruptus, cum Scauro, qui ad illius partes traductus erat, consiliis communicatis, Iugurtham in deditionem accipit, multisque muneribus acceptis Romam revertitur.]

Sed ubi Iugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit: animus aeger avaritia facile conversus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum adsumitur Scaurus: qui tametsi a principio, plerisque ex factione ejus corruptis, acerrume regem impugnaverat; tamen magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existumans, sese aliquid interim Romae pretio, aut gratia effecturum: postea vero quam participem negotii Scaurum acceperat, in maxumam spem adductus recuperandae pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus praesens agere. Ceterum interea, fidei caussa, mittitur a Consule Sextius Quaestor in

CAP. XXIX. *pecunia tentare* — — *Calpurnium*, sive *illum*, sive aliud quoddam nomen omissum est.

belli, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit — Vox *administrabat* ad Consulem Rom. referenda est, cui, quam molestum esset illud bellum, Iugurtha ostendebat.

adsumitur Scaurus — a Consule. Nam Iugurtha, ut e sequentibus vides, serius cognovit Scaurum consiliorum participem factum esse.

fidei causa — obsidis loco, quo facilius rex Numidarum fidem consuli haberet.

oppidum Iugurthae Vagam: cujus rei ſpecies erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat: quoniam deditionis mora indu-
ciae agitabantur. Igitur rex, uti conſtituerat, in caſtra venit: ac pauca, praeſenti conſilio, locutus de invidia facti, atque in deditionem uti acciperetur; reliqua cum Beſtia et Scauro ſecreta transigit: dein poſtero die, quaſi per ſaturam exquiſitis ſententiis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro conſilio imperatum, elephanti triginta, pecus atque equi multi, cum parvo argenti pondere Quaeſtori traduntur. Calpurnius Romam ad magiſtratus rogandos proficiſci-

Vagam — quae urbs a nonnullis *Vacca*, ab aliis *Vaca* ſcribitur.

ſpecies h. e. praetextus, obtentus.

deditionis mora — quamdiu deditio retardabatur.

induciae agitabantur. — Vſitatum Salluſtii verbum. *Pax* enim, *bellum*, *induciaeque agitari* dicuntur.

praeſenti conſilio, ſc. deliberantium; ſive: coram ducibus, quibuscum res agebatur. Monemus autem hoc, ne quis *praeſens conſilium* vertat per: *Klugheit und Geiſtesgegenwart.*

de invidia facti — de odioſa, ſeu inimica facti ſui interpretatione, quam Romani in malam partem accepiſſent.

quaſi per ſaturam exquiſitis ſententiis: non obſervatis nempe juſtis in perroganda, ſeu exquirenda cujusque ſententia ritibus; ſine ordine et modo. Nam ſatura erat *vas*, in quo gentiles diis vel variorum animalium carnes, vel de omni frugum genere, offerebant. Hinc metaphorice dicitur: *quaſi per ſaturam* pro: confuſe.“ Itaque (ſunt Feſti verba) in ſanctione legum adſcribebatur: neve per ſaturam abrogato, aut derogato.

pro conſilio. Coram conſiliantibus ducibus. Sic etiam ſupra Cap. VIII. „donatum atque laudatum magnifice *pro* concione.

ad magiſtratus rogandos. Nam Scipio, qui, cum Italiam ſortitus eſſet, comitia ha-

tur. In Numidia et exercitu noſtro pax agitabatur.

CAPVT XXX.

[Quo facto plebs Romana Conſulem, infectis rebus redeuntem, graviter reprehendere coepit. Et quamquam Senatus propter auctoritatem Scauri, qui particeps fuerat Beſtiae conſiliorum, ſuo jure uti cunctabatur, Memmius tamen, trib. pl., populum ad libertatem defendendam acriter incitabat.]

Poſtquam res in Africa geſtas, quoque modo actae forent fama divolgavit; Romae per omnis locos et conventus de facto Conſulis agitari: apud plebem gravis invidia; Patres, probarentne tantum flagitium, an decretum Conſulis ſub-

bere debuiſſet, mortuus erat. *Rogantur* autem magiſtratus, qui per populum comitiis centuriatis rogatum creantur. Habebantur autem *comitia conſulibus rogandis* a. d. XII Calendas Martias, et ſolemnis in rogationibus formula erat: *Velitis, jubeatis — rogo, Quirites.*

Cap. XXX. *quoque modo actae forent*: nam agendi modus propter ſimulationem et cunctationem viri, qui hoſtis muneribus in reip. ignominiam corrumpi ſe patiebatur, quam maxime vituperandus erat.

per omnis locos et conventus. Hae voces ita h. l. diſtingui videntur, ut altera publicos in foro, porticibus, plateis, altera privatos hominum congreſſus ſignificet; quamvis per conventum omnino „*locus, ubicumque conveniunt homines*“ intelligi poſſit.

apud pl. gravis invidia — ſc. Beſtiae coorta eſt.

patres, probarentne tantum flagitium, an d. C. ſubverterent, parum conſtabat — Rectius et minus ambigue ſcripſiſſet: *patribus — — — parum conſtabat.* Itaque adjecta erant in aliquo libro verba: *patres ſollicitii erant*, quae diligentiſſ. *Cortius* merito rejecit. — Nam interdum, ubi unam rem, ſive unum *ſubjectum* alteri opponunt, nominandi caſu utuntur ſcriptores, quamvis verbum

verterent, parum conſtabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et ſocius Beſtiae ferebatur, a vero, bono impediebat. At C. Memmius, cujus de libertate ingenii et odio potentiae nobilitatis ſupra diximus, inter dubitationem et moras Senati, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere, ne rempublicam, ne libertatem ſuam deſererent: multa ſuperba, crudelia facinora nobilitatis oſtendere: prorſus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempeſtate Memmii facundia clara pollensque fuit, decere exiſtumavi, unam ex tam multis orationem perſcribere: ac potiſſumum, quae in concione poſt reditum Beſtiae hujuscemodi verbis diſſeruit.

CAPVT XXXI.

[Memmii praeſtantiſſima ad plebem oratio, qua civium indignationem ſuscitare, et optimates, Conſulem inprimis, qui putido lucri ſtudio ductus officia boni ducis neglexerat, inviſos reddere ſtudet. Digna profecto eſt prae multis, quam juvenes, verae eloquentiae ſtudioſi, diligentiſſime contemplentur, imitentur, ediſcant!]

ſubſequens ad eundem non ſemper referant. Sic Plautus Poen. Act. III. Sc. III. 46. „*Tu*, ſi Te dii ament, agere Tuam rem *occaſio eſt.*“ — Igitur τὸ patres h. l. nihil aliud eſt, quam: quod ad patres attinet.

pollensque fuit, vim ſuam in omnem remp. habuit. *Pollere*, cui nonnunquam adjiciuntur voces *gratia*, *auctoritate*, eſt noſtrum: ſich geltend machen, wirkſamen Einfluſs oder Bedeutung im Staate haben.

Multa dehortantur a vobis, Quirites, ni ſtudium reipublicae omnia ſuperet: opes factionis, veſtra patientia, jus nullum; ac maxume, quod innocentiae plus periculi, quam honoris, eſt. Nam illa quidem piget dicere, his annis XV. quam ludibrio fueritis ſuperbiae paucorum; quam foede quamque inulti perierint veſtri defenſores; ut vobis animus ab ignavia atque ſecordia corruptus ſit: qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exſurgitis, atque etiam nunc timetis, quibus decet terrori eſſe. Sed quamquam haec talia

Cap. XXXI. *Multa dehortantur a Vobis, Quirites* etc. Multa mihi disſuadere poſſent conſilium coram Vobis verba faciendi. — — Vide, quanta cum arte congregatorum civium oculos animosque in ſe convertat! Nam et ſuum de civibus bene promerendi ſtudium declarat eo luculentius, quo plura ſibi obſtacula vincenda eſſe confitetur, et Romanis, ſiquidem erubeſcere poterant, triſtiſſimam profecto et erubeſcendam, qua premebantur, ſervitutem ob oculos ponit.

patientia — non illa, quae in laude eſt, magnosque viros decet, ſed humilis injuriarum patientia, quae animum abjectum prodit.

ut Vobis animus — corruptus ſit; h. e. *quantopere*.

ab ignavia atque ſecordia corruptus. Praepoſitionem pleonaſtice adjectam eſſe, ſeu redundare, vides. Similis verborum abundantia non admodum infrequens eſt apud optimos ſcriptores. In tironum gratiam repeto exempla a Cortio citata: Lucret. III. v. 833. „Quod letalibus *ab* rebus *munita* tenetur.“ Et Horat. I. Sat. IV. v. 26. Aut *ab* avaritia, aut miſera ambitione laborat.

obnoxiis inimicis —' quum inimicis, qui delictum a ſe commiſſum negare nequeunt, nocere poſſetis.

timetis — ſc. *eos*, quod propterea moneo, ne quis tironum ſequens pronom. relativum ad Romanos, qui erant in concione, referat.

ſunt: tamen obviam ire factionis potentiae animus ſubigit. Certe ego libertatem, quae mihi a parente tradita eſt, experiar: verum id fruſtra, an ob rem faciam, in veſtra manu ſitum, Quirites. Neque ego hortor, quod ſaepe majores veſtri fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil ſeceſſione opus: neceſſe eſt, ſuomet ipſi more praecipites eant. Occiſo Tiberio Gracco, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaeſtiones habitae ſunt. Poſt C. Gracchi et M. Fulvii caedem, item multi veſtri ordinis in carcere necati ſunt; utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit.

animus ſubigit. Vel invitum ſe ad impugnandam factionem, Romanorum libertati noxiam, rapi, ſeu *cogi* profitetur vir fortiſſimus, quo facilius fidem faciat verbis.

ob rem — h. e. non fruſtra; cum utilitate.

Neque ego hortor etc. En virum prudentem, qui, cum ſciret, quantas armata civium turba calamitates reip. adferre potuiſſet, ne civitatem miſeram redderet, nec ſibi invidiam contraheret, vim atque ſeceſſionem diſſuaderet!

ſuomet ipſi more — ſuis vitiis atque ſceleribus, quibus boni cujusque civis invidiam ſibi conflabunt, — *praecipites eant* in ſummam miſeriam feſtinanter ſeſe projiciant.

regnum parare, regiam poteſtatem, Romanis quam maxime inviſam, ſibi arrogare. Cfr. Cic. Lael. C. XII. et I. Cat. C. II et IV.

multi v. o. in carcere necati ſunt — Cfr. Cat. C. LV. Confer locum Appiani haec illuſtrantem I. Civ. καὶ τὺς συμφρονήσαντας ὁ Ὀπίμιος συλλαβὼν, ἐις τὴν Φυλακὴν ἐνέβαλέ τε καὶ ἀποπνιγῆναι.

non lex, verum lubido — lubido eſt voluntas, ſeu arbitrium ſine certa ratione.

Sed ſane fuerit regni paratio, plebi ſua reſtituere. Quidquid ſine ſanguine civium ulciſci nequitur jure factum ſit. Superioribus annis taciti indignabamini, aerarium expilari; reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et ſummam gloriam, et maxumas divitias eſſe: tamen haec talia facinora impune ſuſcepiſſe, parum habuere. Itaque poſtremo leges, majeſtas veſtra, divina et humana omnia hoſtibus tradita ſunt. Neque eos, qui fecere, pudet aut poenitet:

Sed ſane fuerit regni paratio, plebi ſua reſtituere — Ita fere etiam ſupra Cap. XXIV. ad *conceſſionem* ſignificandam eodem uſus eſt *tempore*, dicens: „*quae ſane fuerint noſtrae injuriae, nihil ad vos.*“ Senſus igitur eſt: Concedamus autem, eum, qui plebi ſua reſtituere velit, non injuria regnum (regiam dominationem) adfectare videri. Senſus: Aber freylich mag man es als ein Streben nach Alleinherrſchaft angeſehen haben, daſs man dem Plebejer das Seinige wiedergeben wollte. Mag denn, was ohne Bürgerblut nicht konnte geſtraft werden, mit Recht ſo geſtraft ſeyn. Quod autem infinitivus h. l. ad ſubſtantivum: *parationem regni* refertur, id nec a Salluſtii, nec ab aliorum loquendi more abhorret, quum etiam ſupra ſcriptum inveniamus: idem velle atque idem *nolle* ea demum firma *amicitia* eſt.

Quidquid ſ. ſ. civium u. n. jure factum ſit — h. e. Concedamus civium ſanguinem tum jure fuſum eſſe, ſumto de reis ſupplicio, quum aliter crimen *ulciſci* (h. e. puniri) nequit. Nam *deponens ulciſcor* paſſivi loco poſuit.

tamen h. t. facinora impune ſuſcep. parum habuere — Perſpicuitatis gratia addendum fuiſſe videtur *illi*. Nam a priori ſubjecto ſtatim ad aliud ſeſe convertit oratio, ſenſusque eſt: tamen *illis* (paucis optimatibus) non ſuffecit; ſed majora auſi ſunt.

divina et humana omnia, quaecunque ad ſacra facienda, ſive ad ritus religioſos, et ad remp. gubernandam pertinent.

ſed incedunt per ora veſtra magnifice; ſacerdotia et conſulatus, pars triumphos ſuos oſtentantes: perinde quaſi honori, non praedae habeant. Serui aere parati imperia injuſta dominorum non perferunt: vos, Quirites, imperio nati, aequo animo ſervitutem toleratis. At qui ſunt hi, qui rempublicam occupavere? homines ſceleratiſſumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentiſſumi, idemque ſuperbiſſumi; quis fides, decus, pietas, poſtremo honeſta atque inhoneſta omnia quaeſtui ſunt. Pars eorum occidiſſe tribunos plebis; alii quaeſtiones injuſtas; plerique caedem in vos feciſſe, pro munimento habent. Ita quam quisque peſſume fecit, tam maxume tutus eſt.

incedunt. Verbum, quod alias, praeſertim a poëtis, ad auguſtum deorum habitum greſſumque ſignificandum uſurpatur, h. l. aptiſſimum eſt ad inſolentiam et oſtentationem impudentium notandam. Quae quantum valere debuerit ad augendam oppreſſorum civium indignationem, facile vides.

per ora veſtra — in veſtro conſpectu, ſeu publice, coram Vobis.

ſ. et conſ., pars triumphos ſuos oſtentantes. Animadvertant juvenes, latinitatis ſtudioſi, non opus eſſe, ut in diſtributione vox *pars* repetatur.

aere parati — pecunia redemti.

imperio nati — ad imperandum nati. Dativus enim non commodum modo et damnum, ſed *finem* quoque ſignificat.

quis (quibus) *fides, d. p. p. h. a. i. o. quaeſtui ſunt* — qui, dummodo pecuniam quaerant, nec fidem ſervant, nec decus, ſed qualibet ratione, ſive honeſta ſit, ſive turpis, eam comparare ſtudent. — Nam in omni utriusque belli narratione potiſſimum ante oculos ponere, et vividis coloribus depingere ſtudet, quam abjectus

Metum a ſcelere ſuo ad ignaviam veſtram transtulere: quos omnis eadem cupere, eadem odiſſe, eadem metuere in unum coegit; ſed haec inter bonos amicitia eſt, inter malos factio. Quod ſi tam libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accenſi ſunt; profecto neque res publica, ſicuti nunc, vaſtaretur; et beneficia veſtra penes optumos, non audaciſſumos, forent. Majores veſtri, parandi juris et majeſtatis conſtituendae gratia, bis, per ſeceſſionem, armati Aventinum occupavere: vos pro libertate, quam ab illis accepiſtis, non ſumma ope nitemini? atque eo vehementius, quod majus dedecus eſt, parta amittere, quam omnino non paraviſſe. Dicet aliquis. Quid igitur cenſes? vindican-

fuerit ac vilis ſuorum aequalium animus.

metum a ſcelere ſuo ad ignaviam veſtram transtulere — metum, quo ipſi propter ſcelera, crudeliſſimo ſupplicio digna, perturbati eſſe deberent, Vobis incutiunt, quum Vos ad ulciſcendum ſegnes et ignavos eſſe animadverterint. Senſus: Sie haben die Furcht, welche ſie um ihres Verbrechens willen hegen ſollten, euch Feigen eingeflöſst. Simillimus ſupra eſt locus C. I. „ſuam quisque *culpam* auctores ad negotia *transferunt*.

beneficia veſtra penes optumos, non audaciſſimos, forent: Summos in rep. honores, quos illi inſolenter oſtentant, quales ſunt Conſulatus, Praetura, Sacerdotia, non, metu coacti, ad illos, ſed pro veſtro arbitrio ad digniſſimum quemque deferretis. Eure Wohlthaten würden den Beſten, nicht den Verwegenſten zu Theil werden.

parandi juris et maj. c. g. um ſich ein Recht zu erwerben, und ihre Hoheit (Unverletzbarkeit) zu begründen.

dum in eos, qui hoſti prodidere rempublicam: non manu, neque vi; quod magis feciſſe, quam illis accidiſſe indignum; verum quaeſtionibus et indicio ipſius Iugurthae. Qui ſi dediticius eſt, profecto juſſis veſtris obediens erit: ſin ea contemnit; ſcilicet exiſtumabitis, qualis illa pax, aut deditio, ex qua ad Iugurtham ſcelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rempublicam damna, dedecora pervenerint. Niſi forte nondum etiam vos dominationis eorum ſatietas tenet, et illa, quam haec tempora, magis placent, cum regna, provinciae, leges, jura, iudicia, bella, paces; poſtremo divina et humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc eſt, populus Romanus, invicti

quod magis feciſſe, quam illis accidiſſe indignum — quod ſi faceretis, major eſſet Veſtra, quam illorum, qui talia paterentur, ignominia.

indicio — teſtimonio.

ſcilicet. Hac particula rem, quae per ſe intelligitur, cum emphaſi quadam confirmat. *Certe, profecto, ſane* eandem fere habent vim adfirmandi. Nun ſo werdet ihr daraus natürlich leicht erachten.

qualis illa pax aut deditio — int. foret. Facile, inquit, intelligetis, quam debilis illa pax, quam turpis illa deditio fuerit, ſi ex ea etc.

Niſi — — vos d. ſatietas tenet — niſi forte dominationis eorum pertaeſi eſtis. Es müſste denn ſeyn, daſs Euch noch nicht Ueberdruſs ihrer Tyrannengewalt (Herrſchaft) anwandelte.

Vos autem, populus Romanus etc. Mira ineſt huic epitheto vis atque efficacia. Nam Romanis civibus adſcriptum eſſe ſummo honori ducebatur, et populus Quiritium ſingularem quandam habebat majeſtatem.

ab hoſtibus, imperatores omnium gentium, ſatis habebatis animam retinere: nam ſervitutem quidem quis veſtram recuſare audebat? Atque ego tamen etſi viro flagitioſiſſumum exiſtumo impune injuriam accepiſſe; tamen vos hominibus ſceleratiſſumis ignoſcere, quoniam cives ſunt, aequo animo paterer, niſi miſericordia in perniciem caſura eſſet. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum eſt, impune male feciſſe, niſi deinde faciundi licentia eripitur: et vobis aeterna ſollicitudo remanebit, cum intellegetis, aut ſerviundum eſſe, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiae quae ſpes? Dominari illi volunt; vos liberi eſſe: facere illi injurias; vos prohibere: poſtremo ſociis veſtris veluti hoſtibus; hoſtibus pro ſociis utuntur. Poteſtne in tam divorſis mentibus pax, aut amicitia eſſe? Quare moneo hortorque, ne tantum ſcelus impunitum omittatis. Non peculatus aerarii factus

quantum importunitatis habent — pro ipſorum importunitate. Latinismus cuilibet e ſyntaxi notus.

Non peculatus aerarii factus eſt etc. Poſtquam in antecedentibus demonſtravit, pacem nullo modo ſperandam eſſe, nunc demum, quam atrox crimen Calpurnius Beſtia et Scaurus commiſerint, per oppoſitionem leviorum delictorum probare ſtudet. Non igitur publicas aerarii pecunias ab iis expilatas, ſed ſanctiſſimi Senatus auctoritatem laeſam eſſe oſtendit.

eſt, neque per vim ſociis ereptae pecuniae: quae quamquam gravia; tamen conſuetudine jam pro nihilo habentur. Hoſti acerrumo prodita Senati auctoritas, proditum imperium veſtrum: domi militiaeque respublica venalis fuit. Quae niſi quaeſita erunt, ni vindicatum in noxios: quid reliquum, niſi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quae libet facere, id eſt Regem eſſe. Neque ego, Quirites, hortor, ut malitis civis veſtros perperam, quam recte feciſſe; ſed ne, ignoſcendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc in republica multo praeſtat beneficii, quam maleficii immemorem eſſe. Bonus tantummodo ſegnior fit, ubi neglegas; at malus improbior. Ad hoc ſi injuriae non ſint, haud ſaepe auxilii egeas.

CAPVT XXXII.

[Memmio ſuadente, L. Caſſius, praetor, Iugurtham, quo facilius Scauri et reliquorum delicta patefierent, interpoſita fide, Romam ducit.]

Haec atque alia hujuscemodi ſaepe dicundo, Memmius populo perſuadet, uti L. Caſſius, qui

Peculatus per ſe eſt aerarii direptio, et publicorum omnino bonorum dilapidatio. Hic autem cum genitivo conjungitur.

Cap. XXXII. *L. Caſſius*, quem non multo poſt Conſulem ab Helvetiis occiſum eſſe refert Caeſar in bello Gall. l. 7.

tum Praetor erat, ad Iugurtham mitteretur, interpoſita fide publica, Romam duceret; quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniae captae arceſſebant, delicta patefierent. Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Beſtia exercitui praeerant, ſecuti morem imperatoris, plurima et flagitioſiſſuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti elephantos Iugurthae traderent; alii perfugas vendere; pars ex pacatis praedas agebant. Tanta vis avaritiae in animos eorum, veluti tabes, invaſerat. At Caſſius, perlata rogatione a C. Memmio, ac perculſa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiſcitur; ei timido et ex conſcientia diffidenti

interpoſita fide publica. Ante haec verba tirones forſan deſiderabunt vocem *eumque*, in libris quibusdam obviam. Sed eos monuiſſe ſufficiat, pronomen illud, tam auctoritate optimorum codicum, quam propter uſum loquendi Sallustianum a doct. Cortio rejectum eſſe. — Ceterum *interponere*, quod bis h. l. occurrit, eſt quaſi *pignoris loco dare*.

quos pecuniae captae arceſſebant. Vocem *crimine* vel *causa* omiſſam eſſe, quis eſt qui neſciat? Suetonius in Tib. Cap. LIII. habet haec verba: Emiliam, ſe *veneni crimine* arceſſit.

plurima et flagitioſiſſuma. Sic ſupra: *multae bonaeque artes.*

traderent; alii vendere; pars agebant. Similem modorum diverſitatem vides in Catil. C. XVII. *increpat; laudare; admonebat; dimiſit.*

ex pacatis ſc. regionibus, quae *hoſtilibus* opponuntur.

tanta — invaſerat. En iterum generalem iſtam notionem, cujus explanandae pluribusque exemplis confirmandae gratia utrumque librum ſcripſiſſe videtur! Conf. quae monuimus in praefat.

rebus suis persuadet: *quo se populo Romano dedidisset, ne vim, quam misericordiam, experiri mallet.* Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris, quam publicam ducebat. Talis ea tempestate fama de Cassio.

CAPVT XXXIII.

[Iugurtha Romam deductus Cajum Baebium, tr. pl., corrumpit; Memmius contra plebem regi infestam sedare studet: quo facto illum, coram accusatum, hortatur, ut verum aperiat.]

Igitur Iugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miserabili, cum Cassio Romam venit. Ac tamen etsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta gesserat; C. Baebium tribunum plebis magna mercede parat, cujus im-

F 2

quo se dedidisset pro: *quia, quoniam* etc.

talis ea temp. fama de Cassio — tam clara tunc erat Cassii fides, ut eam non minoris, quam totius reip. duceret.

Cap. XXXIII. *Cultu quam maxume miserabili.* Sordida enim veste, barba capilloque promissis, supplices, qui vel misericordiam excitare vel poenam deprecari vellent, incedere solebant.

confirmatus ab omnibus. Est Nominativus absolutus, qui ad prius periodi membrum pertinet. Eandem fere verborum constructionem habemus C. I. pernicioſa lubidine paullisper *usus*, naturae infirmitas *accusatur*. Facilius tamen omnis loci difficultas expediretur, si duobus punctis (:) post *erat* positis, *confirmatus* apodosin inciperet, referreturque ad *parat*.

pudentia contra jus et injurias omnis munitus foret. At C. Memmius, advocata concione, quamquam regi infesta plebes erat, et pars *in vincula duci* jubebat, pars *ni socios sceleris aperiret, more majorum, de hoste supplicium sumi*; dignitati, quam irae, magis consulens, sedare motus, et animos mollire; postremo confirmare, *fidem publicam per sese inviolatam fore.* Post, ubi silentium coepit, producto Iugurtha, verba facit: *Romae Numidiaeque facinora ejus* memorat; *scelera in patrem fratresque* ostendit: *quibus iuvantibus quibusque ministris egerit, quamquam intelligat populus Romanus; tamen velle manifesta magis ex illo habere: si vera aperiret, in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam: sin reticeat, non sociis saluti fore; sese suasque spes corrupturum.*

dignitati — tam suae ipsius, quam populi R.

irae consulere — sumta vindicta, seu punito hoste, iracundiae satisfacere.

dignitati consulere, dignitatem tueri, servata scilicet fide civitatis, qua fretus Iugurtha Romam venerat, sedatisque adfectibus, quorum violentia hominis dignitas facillime laeditur.

fidem publicam per sese inviolatam fore. Se (Memmium), quantum possit, prohibiturum, ne publica fides violetur. Hoc tironum gratia moneo, ne voces *per sese* putent esse nostrum *an sich.*

producto Iugurtha. De iis, qui in concionem, aut conspectum judicantium ducantur, hoc proprie dici, monet praestantiss. Cortius.

Numidiaeque. Animadvertant juvenes, omnem provin-

CAPVT XXXIV.

[C. Baebius, pecunia corruptus, regem tacere jubet, efficitque, ut populus fruſtra discedat.]

Dein, ubi Memmius dicundi finem fecit, et Iugurtha reſpondere juſſus eſt, C. Baebius tribunus plebis, quem pecunia corruptum ſupra diximus, regem tacere jubet: ac tamen etſi multitudo, quae in concione aderat, vehementer accenſa, terrebat eum clamore, voltu, ſaepe impetu atque aliis omnibus, quae ira fieri amat: vicit tamen impudentia. Ita populus ludibrio habitus ex concione diſceſſit: Iugurthae Beſtiaeque et ceteris, quos illa quaeſtio exagitabat, animi augeſcunt.

CAPVT XXXV.

[Maſſiva, Maſiniſſae nepos, qui tum forte, ex Africa profugus, Romam ſe contulerat, ſuadente Sp. Albino, regnum Numidiae a ſenatu petit. Hunc autem, Iugurtha imperante, Bomilcar, regis amicus, obtruncat; ſed paulo inconſultius eum adgreſſus deprehenditur. Paulo poſt, quum eſſet accuſatus, clam a rege in Numidiam mittitur. Ipſe Iugurtha, Senatu jubente, Italiam relinquit.]

ciam h. l. eodem, quo urbium nomina, caſu ſignificatam eſſe, cujus conſtructionis plura inveniuntur apud veteres exempla.

oris minitantis, vel toto corporis habitu. Nam utrumque illa voce ſignificatur. Sic Cap. CXIII. „*voltu corporis* pariter, atque animo varius.“

Cap. XXXIV. *Voltu*, vel *amat fieri* — Φιλει γιγνεσθαι.

Ea erat tempeſtate Romae Numida quidam, nomine Maſſiva, Guluſſae filius, Maſiniſſae nepos: qui, quia, in diſſenſione regum, Iugurthae advorſus fuerat; dedita Cirta et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno poſt Beſtiam cum Q. Minucio Rufo Conſulatum gerebat, perſuadet, quoniam ex ſtirpe Maſiniſſae ſit, Iugurtham ob ſcelera invidia cum metu urgueat; regnum Numidiae ab Senatu petat. Avidus Conſul belli gerundi movere, quam ſeneſcere omnia malebat. Ipſi provincia Numidia; Minucio Macedonia evenerat. Quae poſtquam Maſſiva agitare coepit, neque Iugurthae in amicis ſatis praeſidii eſt: quod eorum alium conſcientia, alium mala fama et timor impediebat: Bomilcari, proxumo ac maxume fido ſibi, imperat, *pretio, ſicuti multa confecerat, inſidiatores Maſſivae paret, ac ma-*

Cap. XXXV. *Iugurtham ob ſcelera* — h. e. *et quoniam Iug.* rel. Eſt igitur cum priori periodi membro jungendum. Nam *cum metu* pro *et metus* a Salluſtii more neutiquam abhorret; e. g. Cat. XII. Iuventutem luxuria atque avaritia *cum ſuperbia* invaſere.

Bomilcari, proxumo ac maxume fido ſibi. Sic enim falſo ſibi perſuadebat; nam iſte Bomilcar fuit homo nullius fidei, corruptelae obnoxius, nec ulla in re ſibi conſtans, qui poſtea Iugurthae exercitui praefectus a Metello corrumpi ſe patitur; Iugurtham ad deditionem impellit, et, cum regem, cui propterea ſuſpectus erat, interficere conatus eſſet, ab eodem necatur.

pretio, ſicuti multa confecerat, inſidiatores Maſſivae paret. *Pretium* pro: *mercedo, parare* pro; *conducere, redimere.*

xume occulte: ſin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature regis mandata exſequitur: et per homines talis negotii artifices itinera egreſſusque ejus, poſtremo loca atque tempora cuncta explorat: deinde, ubi res poſtulabat, inſidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati, paullo inconſultius Maſſivam adgreditur, illum obtruncat: ſed ipſe deprehenſus, multis hortantibus et inprimis Albino conſule, indicium profitetur. Fit reus magis ex aequo bonoque, quam ex jure gentium, Bomilcar; comes ejus, qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha manifeſtus tanti ſceleris, non prius omiſit contra verum

t. n. artifices — qui in tali negotio, quod cum arte quadam, ſeu tanquam artem, quae ipſos aleret, tractaverant, exercitati erant. Sic Prudent. 1. Symmach. v. 99. „*artificem ſcelerum* dixit.“

egreſſus — tam extra urbem, quam extra domum. Nam utrumque ſignificare docet, exemplisque confirmat Cortius. Hoc loco tamen vox *itinera* longiores ex urbe progreſſus, altera ſimpliciter progreſſum in publicum denotare videtur.

ubi res poſtulabat — ubi commodum interficiendi Maſſivae tempus exſpectaverat. Alias enim illa verba: *res poſtulat* — neceſſitatem ſignificant, cujus notio nec ab hoc loco aliena eſt, cum juſto tempore Numidam interfici neceſſe eſſet.

Fit reus — ſc. Bomilcar.

magis ex aequo bonoque, quam ex jure gentium — Aequitas enim poſtulat, ut civium ſecura ſit vita, et ſceleratorum delicta, nullo perſonae reſpectu habito, puniantur. Bomilcarem vero, qui comes Iugurthae, publica fide data, Romam veniſſet, puniri et omnino accuſari per jus gentium illicitum fuiſſe falſo ſibi perſuadere videtur Noſter.

niti, quam animum advortit, ſupra gratiam atque pecuniam ſuam invidiam facti eſſe. Igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat; regno magis, quam vadibus conſulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit: veritus, ne reliquos popularis metus invaderet parendi ſibi, ſi de illo ſupplicium ſumtum foret. Et ipſe paucis diebus profectus eſt, juſſus ab Senatu Italia decedere. Sed poſtquam Roma egreſſus eſt, fertur ſaepe eo tacitus reſpiciens, poſtremo dixiſſe: VRBEM VENALEM ET MATVRE PERITVRAM, SI EMTOREM INVENERIT.

CAPVT XXXVI.

[Sp. Albinus, poſt Beſtiam cum Minucio conſul, cui non ſunt. Quinquaginta igitur homines, eosque ſibi amicos, in perniciem adducere, quam de regno ſollicitus eſſe malebat.

animum advortit — animadvertit.

ſupra gratiam atque pec. ſuam invidiam facti eſſe — illo facto nimis magnam ſibi invidiam conflatam eſſe, quam ut gratia pecuniaque eam mitigare poſſet.

in priore actione ſc. forenſi, quum primo accuſatus eſſet.

regno magis quam vadibus conſulens — magis tamen ſollicitus, ne regnum amitteret, quam ne vadibus mulcta imperaretur. Male enim conſulunt vadibus, qui dicto ad cauſam dicendam die praeſto

Vrbem venalem etc. Ad depingendam miſeriam urbis, quam venalem et omni vitiorum genere corruptam fuiſſe ipſe Salluſtius ſexcenties adfirmat, ſcite utitur verbis Iugurthae, qui, cum ipſe eſſet ſceleribus contaminatus, Romam, olim egregiarum virtutum matrem, ab illo excelſitatis gradu in ſummam miſeriam delapſam eſſe teſtabatur.

Numidia evenerat, cito in Africam profectus, bellum ante comitia componere ſtudet; verum tamen hic etiam, vel Iugurthae dolis ludibrio habitus, vel nec ipſe ſatis fidus, infectis rebus, Aulo fratre relicto, Romam revertitur.]

Interim Albinus, renovato bello, commeatum, ſtipendium, alia, quae militibus uſui forent, maturat in Africam portare; ac ſtatim ipſe profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis, aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias morae cauſſas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum ſimulare: inſtanti cedere, et paullo poſt, ne ſui diffiderent, inſtare: ita belli modo, modo pacis mora Conſulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum conſilii regis exiſtumarent; neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum ſecordia magis, quam dolo crederent. Sed poſtquam, dilapſo tempore, comitiorum dies adventabat, Albinus, Aulo fratre in caſtris pro Praetore relicto, Romam deceſſit.

Cap. XXXVI. *ſtipendium*, aerarium, ex quo militibus ſtipendium numeraret.

trahere omnia, moram facere, tergiverſari, cunctandoque — omnia, tam deditionem, quam pugnam, differre.

ac ſuere, qui — exiſtumarent etc. Noſtrum vero etiam hanc ſuſpicionem non prorſus inanem judicare, ex adjecta ejusdem opinionis cauſa patet. Nam veriſimile non erat, Albinum „*ex tanta properantia*,“ (qui tantopere initio feſtinaſſet) rem ſine dolo geſſiſſe.

pro Praetore — quem infra Cap. XXXVIII. legatum nominat.

CAPVT XXXVII.

[Romae interim ſeditiones tribunorum, de magiſtratu decedere nolentium, comitia impediunt. Aulus interim Iugurtham urget, ejusque theſauros, in urbe Suthul reconditos, ſibi vindicare ſtudet.]

Ea tempeſtate Romae ſeditionibus tribuniciis atrociter res publica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, reſiſtentibus collegis, continuare magiſtratum nitebantur: quae diſenſio totius anni comitia impediebat. Ea mora in ſpem adductus Aulus, quem pro Praetore in caſtris relictum ſupra diximus, aut conficiundi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites menſe Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat; magnis itineribus, hieme aſpera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis theſauri erant. Quod quamquam et ſaevitia temporis, et opportunitate loci neque capi, neque

Cap. XXXVII. *Continuare magiſtratum* ſuum, ſc. tribunatum. Nam et hunc *magiſtratum* appellari et Noſtri et Livii auctoritate probavit Cortius, ideoque falſam eſſe eorum interpretationem, qui de prorogando Conſulatu haec dicta eſſe ſibi perſuaſerint.

totius anni comitia, tam ea, quibus tribuni plebis creari ſolebant, quam reliquorum magiſtratuum comitia.

ubi regis theſauri erant — Pluribus autem in oppidis Iugurthae theſauros reconditos fuiſſe, ex eo veriſimile eſt, quod Strabo aliam urbem regis γαζοφυλάκιον nominat.

ſaevitia temporis, hiemali tempeſtate.

opportunitate loci. Defendentibus nempe oppidanis erat opportunus.

obſideri poterat: (nam circum murum, ſitum in praerupti montis extremo, planicies limoſa hiemalibus aquis paludem fecerat) tamen aut ſimulandi gratia, quo regi formidinem adderet; aut cupidine caecus, vineas agere, aggerem jacere, alia, quae incepto uſui forent, properare.

CAPVT XXXVIII.

[Sed Iugurthae dolo ac ſimulatione ab oppido in loca iniqua retractus, corruptis centurionibus ducibusque, noctu repente circumventus, ad pacem ignominioſam incundam compulſus, Numidiae fines relinquere cogitur.]

At Iugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, ſubdolus augere amentiam: miſſitare ſupplicantis legatos: ipſe, quaſi vitabundus, per ſaltuoſa loca et tramites exercitum ductare. Denique Aulum ſpe pactionis perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones ſeſe, veluti cedentem, inſequeretur. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tentabat: cen-

aggerem jacere, quo et foſſas expleret, et murorum altitudinem aequaret, ut e turribus ſuper aggere exſtructis telo oppidani peterentur. Videatur hujus vocis explicatio in *Bergſtraeſſeri* Real-Wörterbuche. Confer. Lipſius in Poliorcet. II. Cap. III.

CAP. XXXVIII. *Vanitate* — temeritate et inconſiderantia. Vani enim non tantum ſunt, qui praeſtare vel nolunt vel nequeunt promiſſa, ſed etiam, qui temere opus difficile aggrediuntur. Confr. Catil. Cap. XXIII.

augere amentiam — ſc. Auli.

turiones ducesque turmarum, partim uti transfugerent, (corrumpere;) alii, ſigno dato, locum uti deſererent: ita delicta occultiora fore. Quae poſtquam ex ſententia inſtruit, intempeſta nocte, de improviſo multitudine Numidarum Auli caſtra circumvenit. Milites Romani, tumultu perculſi inſolito, arma capere alii, alii ſe abdere, pars territos confirmare; trepidare omnibus locis: vis magna hoſtium, coelum nocte atque nubibus obſcuratum; periculum anceps: poſtremo fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum, cum duabus turmis Thracum, et paucis gregariis militibus, tranſiere ad regem: et centurio primi pili tertiae legionis per munitionem, quam, uti de-

Centuriones, qui pedeſtribus copiis, et *turmarum duces*, qui equeſtribus praeerant.

Poſtquam inſtruit — Sic infra Cap. LII. „*poſtquam* Rutilium conſediſſe jam, et animo vacuum *accipit*.

ex ſententia — ſicuti voluerat.

Ligurum. De Liguribus, populi Romani ſociis, vide Florum II. Cap. 3. Confer. Livius XLII. Cap. 35. Ex eo tempore, quo ab Aemilio Scauro in deditionem fuerant accepti, *Ligures; Thraces* autem inde a Macedonico bello in exercitu Romanorum fuere, de quibus vid. Florum III. Cap. 4.

Centurio primi Pili — alias *primus Pilus*, ſeu *Primipilus* dictus. Nam tertium genus militum, quibus legio conſtabat, non *Triarii* tantum, ſed *Pilani* etiam vocabantur. His vero, ſicuti *haſtatis* atque *principibus*, decem centuriones erant praefecti, ſecundum totidem cujusque generis ordines. Primus autem Triariorum, non *primus Triarius*, ſed *Primipilus*, ſive *Centurio primi Pili* dictus, reliquos omnes dignitate anteibat.

fenderet, acceperat, locum hoſtibus introeundi dedit: eaque Numidae cuncti irrupere. Noſtri foeda fuga, plerique abjectis armis, proxumum collem occupavere. Nox atque praeda caſtrorum hoſtes, quo minus victoria uterentur, remorata ſunt. Dein Iugurtha poſtero die cum Aulo in colloquio verba facit: *tametſi ipſum cum exercitu fame, ferro clauſum tenet: tamen ſe humanarum rerum memorem; ſi ſecum foedus faceret, incolumis omnis ſub jugum miſſurum: praeterea, uti diebus decem Numidia decederet.* Quae quamquam gravia et flagitii plena erant: tamen, quia mortis metu mutabant, ſicuti regi libuerat, pax convenit.

Nox atque praeda remorata ſunt. Obſervent juvenes, poſt duo feminina Neutrum plurale poſitum eſſe.

tametſi ipſum cum exercitu fame, ferro clauſum tenet. Notandum eſt h. l. indicativum in oratione obliqua occurrere, cujus quidem conſtructionis plura citari poſſent e Cortii notis exempla. Ceterum *fame ferroque clauſum tenere* nihil aliud eſt, quam ita clauſum tenere exercitum, ut vel fame vel ferro opprimi poſſit.

ſi ſecum foedus faceret, ſi Aulus ſecum (cum Iugurtha) de liberando exercitu paciſci vellet.

incolumis omnis — omnes ſe milites incolumes.

ſub jugum miſſurum. Foediſſimum ignominiae genus, quo victi milites adficiebantur. Fiebat autem jugum tribus haſtis, humi fixis duabus, ſuperque eas transverſa una deligata.

mutabant. Verbum hoc *neutrius* ſignificationis, non ad Romanos, ſed ad praecedentem Nominativum referri debet. Dicunt enim Latini *rem aliam alia mutare*, ſi altera duarum eligenda eſt. Recte vertit Höckius: Weil Furcht vor dem Tode in der andern Wagſchale lag.

CAPVT XXXIX.

[Ignominiosa Auli fuga diversis adfectibus perturbat Romanos. Albinus Consul, sibi timens, auxilia, quibus fraternae invidiae medeatur, parat, sed a tribunis plebis impeditus, ne copias secum portaret, solus in Africam proficiscitur.]

Sed ubi ea Romae comperta sunt, metus atque moeror civitatem invasere: pars dolere pro gloria imperii: pars insolita rerum bellicarum timere libertati: Aulo omnes infesti, ac maxume, qui bello saepe praeclari fuerant; quod armatus dedecore potius, quam manu, salutem quaesiverat. Ob ea Consul Albinus ex delicto fratris invidiam, ac deinde periculum timens, Senatum de foedere consulebat. Et tamen interim exercitui supplementum scribere: ab sociis et nomine Latino auxilia arcessere: denique modis omnibus festinare. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, SVO ATQVE POPVLI INIVSSV NVLLVM POTVISSE FOEDVS FIERI. Consul impeditus a

CAP. XXXIX. *dedecore potius, quam manu* — turpi pactione potius, quam armis.

ex delicto — propter delictum. Nam nisi ipse (Albinus) Romam festinans imprudentem reique militaris ignarum fratrem in Numidia reliquisset, melius forsan gesta esset res pop. Rom.

Senatum de foedere consulebat, h. e. quaerebat a Senatu, utrum fosdus cum Iugurtha factum comprobaret, an pro irrito haberet.

ab sociis et nomine Latino — h. e. tam ab exteris sociis, ultra Latii fines remotis, quam ab iis civitatibus, quae propius Romam in Latio sitae erant.

tribunis plebis ne, quas paraverat copias, ſecum portaret, paucis diebus in Africam proficiſcitur. Nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia hiemabat. Poſtquam eo venit: quamquam perſequi Iugurtham et mederi fraternae invidiae animus ardebat; cognitis militibus, quos praeter fugam, ſoluto imperio, licentia atque laſcivia corruperat, ex copia rerum ſtatuit, nihil ſibi agitandum.

CAPVT XL.

[*C. Mamilii Limetani*, tr. pl., ad populum de quaeſtionibus, contra corruptos a Numida duces, inſtituendis rogatio — plebisque ſeditioſi contra Patricios motus.]

Interea Romae C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, *uti quaereretur in eos, quorum conſilio Iugurtha in provincia* — ſc. Romana, cujus deſcriptionem ſupra Cap. XIX. legimus. — *praeter fugam*, h. e. non fuga ſolum. Nam fugientes non diſperſi tantum huc illuc vagari coeperant, ſed propter ignominiam quoque, qua erant notati, omnem amiſerant bellandi ardorem, atque honoris cupiditatem. — *ſoluto imperio*. Nam omnes quaſi disciplinae habenas relaxaverat imprudens timidusque imperator, ut, quamvis nondum revocatus eſſet, nullum omnino imperium exercere videretur. — Scite hoc loco perditae disciplinae cauſas enumerat Noſter. Fuga enim exſtinxerat ſenſum honoris, ducisque auctoritate ſublata laſciviae ſe dabat miles, quam ipſa licentia genuerat. — *ex copia rerum* — ex praeſenti rerum facie, ſeu conditione. Cfr. Cap. XCVIII. Depravatos autem militum iſtorum mores ſi quis vividis coloribus depictos legere vult, adeat Cap. XLIV.

gúrtha Senati decreta neglegiſſet; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepiſſent; qui elephantos, quique perfugas tradidiſſent; item qui de pace, aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent. Huic rogationi partim conſcii ſibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte reſiſtere non poterant, quin illa et alia talia placere ſibi faterentur; occulte per amicos, ac maxume per homines nominis Latini et ſocios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu eſt, quam intenta fuerit, quantaque vi rogationem jufſerit, decreverit, voluerit: magis

Cap. XL. *neglegiſſet* — Sic vetuſto loquendi more ipſe Tullius Phil. XIII. Cap. 16.

partim conſcii ſibi, h. e. qui perfidiae ſuae ſibi conſcii quaeſtionem timebant.

ex partium invidia pericula metuentes — In duas enim partes omnis resp. erat diviſa, quas equidem h. l. intelligi opinor — in patricios nempe et plebejos. Plebeji autem nullam illos accuſandi criminandique occaſionem praetermittebant.

quoniam aperte reſiſtere non poterant, quin illa et alia talia placere ſibi faterentur — h. e. quoniam, ſi aperte, nec ulla fraude utentes, reſtitiſſent, his et ſimilibus factis delectari viderentur.

illa et alia talia: Equidem vel mendam huc irrepſiſſe ſuspicor, quae facillime propter ſoni et litterarum ſimilitudinem admitti poterat, vel Criſpum euphoniae rationem h. l. non admodum diligenter habuiſſe. Similis autem locus eſt infra Cap. LXIV. ubi tamen, Cortio teſte, quidam codd. vocem *talia* omittunt.

per homines nominis Latini et ſocios Italicos, qui jure ſuffragii, quo gaudebant, ad impediendam rogationem Mamilianam uti poterant.

intenta — noſtrum *geſpannt*; h. e. quantis viribus, quantoque animorum impetu rogationem adjuvare ſtuduerit.

jufſerit, decreverit, voluerit. Primum verborum horum non-

odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae. Tanta lubido in partibus. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiae supra docuimus, inter laetitiam plebis, et suorum fugam, trepida etiam tum civitate, cum ex Mamilia rogatione tres quaesitores rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur. Sed quaestio exercita aspere violenterque ex rumore, et lubidine plebis: ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

CAPVT XLI.

[Quomodo Romae res se habuerint; quae fuerit plebis conditio; quam effrenata patriciorum licentia; quibusque paulatim vitiis factionibusque corrupta civitas in illo-

nullis sufficere visum est, ob eamque causam deleta sunt in quibusdam codd. duo posteriora. Et mihi quidem, cum decernendae quaestionis jus esset penes Senatum, vox: *decreverit* supervacanea certe, nec ita cum Cortio explicanda videtur, ut significet, populum ad Senatum retulisse de quaesitoribus decernendis. Verum, si omnino retinenda est, *ardoris atque vehementissimi impetus* significandi causa adjecta videtur.

et suorum fugam. Fuga h. l. denotat perturbationem animi delictorum sibi conscii.

ex rogatione — secundum rogationem, sive etiam post perlatam rogationem.

Quaesitores qui, antequam Sulla perpetuas quaestiones constitueret, judiciis extraordinariis praeerant, quibus graviora crimina dijudicabantur, si vel nulla omnino lex, vel non satis distincta, quid faciendum esset, praecipiebat.

ex rumore. Non tam veri justique rationem habebant, quam vani rumoris, et animadvertebant in eos, qui, nullis testimoniis convicti, delictorum participes fama ferebantur.

rum temporum miseriam delapsa sit, vividis coloribus depingitur.]

Ceterum mos partium popularium et Senati factionum, ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus, otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et Senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant: neque gloriae, neque dominationis certamen inter civis erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus discessit; scilicet ea,

Cap. XLI. *Mos partium popularium et Senati factionum.* Ad significandam auctoris mentem sufficisse credo voces: *mos partium;* et nisi reliqua verba multifariam variata passim occurrere testaretur Cortius, equidem illa, glossae loco adjecta, in libros paulatim irrepsisse putarem. — Ceterum observent juvenes loquendi modum. Alias enim subst. *mos*, quum actionis notionem involvat, cum Gerundio jungi solet.

malarum artium, vitiorum, quae ex partium studiis oriuntur. Saepius enim jam monuimus, *artem* significare quemlibet animi habitum, aeque bonum ac pravum.

earum rerum, quae prima. Ita saepissime Veteres pro: *quas primas.*

ante Carthaginem deletam. Cujus aemulae interitus atque excidium XXXV. annorum spatio abest a bello Iugurthino. Cfr. Cat. X. ubi post Carthaginis interitum saevire coepisse fortunam, et omnia miscuisse refert.

modeste — moderate; ita ut in adfectibus *modum* tenerent.

hostilis pro: *hostium.* Sic *partes populares* pro: *populi.* Eandem fere sententiam legimus apud Florum III. 12. Poenorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat.

in bonis artibus etc. — disciplinam tuebatur.

scilicet ea etc. h. e. *tum vero, uti facile quisque colliget.* Nostrum: da fanden sich *natürlich* die gewöhnlichen Gefährten

quae ſecundae res amant, laſcivia atque ſuperbia inceſſere. Ita, quod in advorſis rebus optaverant, otium, poſtquam adepti ſunt, aſperius, acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: ſibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abſtracta ſunt. Respublica, quae media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis vis ſoluta atque diſperſa, in multitudine, minus poterat: paucorum arbitrio belli domique agitabatur: penes eosdem aerarium, provinciae, magiſtratus, gloriae triumphique erant: populus militia atque inopia urguebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes, aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori

des Glückes — Luxus und Uebermuth — ein. Ea vero vitia, tamquam hoſtes, incedere dicuntur.

aſperius acerbiusque — quam ipſe ille metus hoſtilis.

in lubidinem vertere, h. e. ad explendam lubidinem abuti.

ducere, trahere, rapere, doli aſtutiaeque, et creſcentis paulatim violentiae gradus hisce verbis ſignificat.

quae media fuerat, inter ſeditioſas illas improborum civium partes.

agitabatur — abſolute.

triumphique, quos pro lubitu imperatoribus decernebant.

praedas bellicas imp. c. p diripiebant. Vel ex hoc loco licet colligere, praedas bellicas non imperatori proprias fuiſſe.

parentes, aut parvi liberi militum ſ. pellebantur Allegatum a Cortio locum Quintil. Declam. XIII nolo praetermittere: „Poſtquam, proximos quosque revellendo terminos, ager *locupletis* latius inundavit: aequatae ſolo villae, exciſa pa-

confinis erat, ſedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia, ſine modeſtiaque invadere; polluere et vaſtare omnia; nihil penſi, neque ſancti habere, quoad ſemet ipſa praecipitavit. Nam ubi primum (ex nobilitate) reperti ſunt, qui veram gloriam injuſtae potentiae anteponerent; moveri civitas, et permixtio civilis, quaſi diſceſſio terrae, oriri coepit.

CAPVT XLII.

[Continuata factionum deſcriptio. Gracchorum inprimis actiones, illisque oppreſſis, multorum civium interitus.]

Nam poſtquam Tiberius et C. Graccus, quorum majores Punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum ſcelera patefacere coepere: nobilitas noxia, atque eo perculſa, modo

tria ſacra, et cum conjugibus *parvisque liberis*, reſpectantes patrium Larem, migraverunt veteres coloni. Cfr. Horat. Odarum Lib. II. 18. „pellitur paternos in ſinu ferens deos, et uxor et vir, ſordidosque natos.

Cap. XLII. *quorum majores.* Patrem enim habebat Tiberium Gracchum, inſignem virum; matrem P. Africani filiam. De quibus conſulendus eſt Plutarchus in vitis Gracchorum, et Vellej. Paterc. II. Cap. 2.

multum reip. addiderant — reip. imperium latius extenderant, opesque auxerant.

noxia — delictorum ſibi conſcia. Nam et qui nocuerunt, et qui ſe aliis noxam attuliſſe ſibi conſcii ſunt, noxii vocantur.

atque eo perculſa. Perculſus eſt, qui ita adfligitur, ut metu vehementique animi adfectu in medio actionum curſu impediatur.

per ſocios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos ſpes ſocietatis a plebe dimoverat, Graccorum actionibus obviam ierat: et primo Tiberium, dein paucos poſt annos eadem ingredientem Cajum, Tribunum alterum, alterum Triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverant. Et ſane Graccis, cupidine victoriae, haud ſatis moderatus animus fuit. Sed bono vinci ſatius eſt, quam malo more injuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine ſua uſa, multos mortalis ferro, aut fuga exſtinxit; plusque in reliquum ſibi timoris, quam potentiae, addidit. Quae res plerumque magnas civitatis peſſum dedit: dum alteri alteros vincere quovis modo, et

ſpes ſocietatis, cum ordine Patriciorum ineundae. Equites enim ad primum in civitate ordinem modo propius accedebant, modo ab eodem abalienabantur. Cicero eos cum Senatu conjunxerat, M. Cato autem abalienavit. Conf. Cic. Cat. IV. Cap. 7. Epiſtol. I. 8.

eadem ingredientem. Acute Cortius obſervavit, non *modum* agendi, ſed ipſam actionem voce ſpriori ſignificatam eſſe; itaque non ſextum, ſed quartum caſum intelligi, ut *eadem ingredientem* ſit: *easdem actiones conantem.*

Coloniis deducendis. Quod negotium ſibi demandatum, quo facilius effugeret ſuorum invidiam, et libenter ſuscepiſſe Cajum, et feliciter peregiſſe teſtatur Plutarchus.

bono — viro. Eandem fere ſententiam legis apud Senecam de Benef. 32. — — „Vir bonus — qui in diſſenſione civili — — *vinci*, quam *vincere* maluit.“ *Satius mihi eſt* pro: malo.

aut fuga — ad quam capiendam eos cogebant, h. e. exſilio.

dum alteri alteros vincere etc. Quae eadem fuit cauſa exitii Graecorum, a Thucydide libro III. Cap. 82. expoſita.

victos acerbius ulciſci volunt. Sed de ſtudiis partium et omnibus civitatis moribus ſi ſingulatim, aut pro magnitudine parem diſſerere, tempus, quam res, maturius deſerat. Quamobrem ad inceptum redeo.

CAPVT XLIII.

[Conſules deſignati — Q. Metellus et M. Silanus de provinciis gubernandis inter ſe ſine ſortitione conſtituunt. Metellus, vir ſtrenuus et moderatus, accepta Numidia, veteri exercitui diffidens, novos milites et omnia belli inſtrumenta comparat, hisque inſtructus in Numidiam proficiſcitur.]

Poſt Auli foedus exercitusque noſtri foedam fugam, Q. Metellus et M. Silanus Conſules deſignati (provincias) inter ſe paraverunt: Metelloque Numidia evenerat, acri viro, et quamquam

quem locum a Cortio diligentiſſimo deſcriptum Noſter imitatus eſſe videtur.

ſi — — parem diſſerere — ſi diſſerere inſtituerem; quod propterea moneo, ne Accuſ. pro verbo capiatur.

Cap. XLIII. *inter ſe paraverunt* — non ex vulgari more ſortiti ſunt provincias, ſed inter ſe convenerunt, quam quisque ſusciperet adminiſtrandam.

Metelloque Numidia evenerat. Fuere, qui verbum *evenire* ſortitionem ſignificare putarent; in his Manutius. Hinc nonnulli *partiverunt* pro *paraverunt* legendum eſſe arbitrati ſunt. Illius autem verbi longe aliam eſſe ſententiam ex Livii XXVII. 7. probavit doctiſſ. Cottius; τὸ *evenire* non de *ſorte* tantum, ſed de paratione etiam dici, Gronovio teſte, e pluribus Livii locis, inter ſe comparatis, patet.

advorſo populi partium, fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi primum magiſtratum ingreſſus eſt, alia omnia ſibi cum collega ratus, ad bellum, quod geſturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites ſcribere, praeſidia undique arceſſere: arma, tela, equos, cetera inſtrumenta militiae parare: ad hoc commeatum affatim: denique omnia, quae bello vario et multarum rerum egenti uſui eſſe ſolent. Ceterum ad ea patranda Senati auctoritate ſocii nomenque Latinum, reges ultro auxilia mittere: poſtremo omnis civitas ſummo ſtudio adnitebatur. Itaque, ex ſententia omnibus rebus paratis compoſitisque, in Numidiam proficiſcitur, magna

advorſo partium — pro uſitatiori: *partibus*. „Sic Noſter, inquit Cortius, Catil. Cap. XXXVII. quicumque aliarum, atque Senati partium, erant.“ Sed neque hoc exemplo, nec aliis, quae attulit, compluribus, hanc lectionem nobis probare potuit.

fama aequabili — aeque apud plebem, ac reliquos populi ordines, bona. Sic Cicero IV. ad Attic. epiſtola: „veni in ſpectaculum; primum magno et aequabili plauſu.“

alia omnia ſibi cum collega ratus — ratus, alia omnia, praeter bellum cum Iugurtha, communi conſilio ſibi cum altero conſule agenda eſſe; auſpicia nempe, prodigia, et quae praeter haec enumerat Livius XXI. 43.

bello vario. Cujus multiplices ſunt formae, et quod tam late diſperſum eſt, ut non uno alterove proelio confici poſſit. Cfr. Cap. LI. „facies totius negotii varia.“ Et Florus: „anceps, *variumque*, et cruentum in Hiſpania bellum cum legatis Cn. Pompeji.“

Senati auctoritate. Hic enim decernebat auxilia ſociorum ad provincias tuendas conſtituendasque neceſſaria.

ultro — opponitur haec vox antecedentibus.

ſpe civium, cum propter bonas artis, tum maxume, quod advorſum divitias animum invictum gerebat: et avaritia magiſtratuum ante id tempus in Numidia noſtrae opes contuſae, hoſtium-que auctae erant.

CAPVT XLIV.

[Traditur Metello exercitus Proconſulis Spurii Albini, in Africa relictus, quem, cum ignaviae luxuriaeque deditus eſſet, ille, priusquam rem aggrederetur, ad laborem cogere ſtatuebat.]

Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur Sp. Albini pro Conſule iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, lingua, quam manu, promtior, praedator ex ſociis, et ipſe praeda hoſtium, ſine imperio et modeſtia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus ſollicitudinis, quam ex copia militum auxilii, aut ſpei bonae accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et aeſtivorum tempus comitiorum mora imminuerat, et exſpectatione eventi civium animos intentos putabat; non prius bellum adtingere, quam, majorum diſciplina, mi-

Cap. XLIV. *lingua, quam manu, promtior* — gloriari, verbisque minacibus virtutem oſtentare ſolitus.

praedator ex ſociis, et ipſe praeda hoſtium — qui, quae ipſe ſociis eripuerat, hoſtibus reddere cogebatur.

aeſtivorum tempus — tempus rerum per aeſtatem gerendarum, ſeu belli gerendi.

lites laborare coegisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat: nisi cum odos, aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque more militari vigiliae deducebantur: uti cuique lubebat, ab signis aberat. Lixae permixti cum militibus die noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere: eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, et aliis talibus: praeterea, frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: postremo, quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

CAPVT XLV.

[Metelli severitate ac prudentia militum luxuries atque ignavia coërcentur.]

Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hostilibus, magnum et sapientem

odos quem efficiebat hominum pecorumque diuturna congregatio.

frumentum publice datum, quod publico sumtu, certis diebus, in singulos menses, ab imperatore militibus dabatur.

virum fuisse comperior, tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum. Namque edicto primum adjumenta ignaviae sustuliſſe, *ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet; ne lixae exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut jumentum haberet;* ceteris arte modum statuisse. Praeterea transvorsis itineribus quotidie castra movere, juxta, ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere, et ipse cum legatis circumire: item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quispiam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.

Cap. XLV. *temperantia* idem hoc loco, quod alias temperamentum. Cfr. Iustinus II. 7. *Temperantia moderari* est nostrum: *durch Mäſsigung die Mittelſtraſse halten.*

Ambitionem vocat studium favoris militum.

neve in agmine servum etc. *haberet.* Hos enim tribuni tantum olim ducesque secum onere solebant. Sub imperatoribus autem, ingruente luxuria, gregarius quisque miles servum habebat.

arte modum statuisse parvum (arctum) servorum numerum permisisse.

transvorsis itineribus — non recta via, sed oblique huc illuc milites, ut paulatim labori se adsuefacerent, incedere jussit.

frequentes denso, et nusquam interrupto ordine.

CAPVT XLVI.

[Iugurtha, de Metelli actionibus per nuntios certior factus, pacem vitamque ſibi et liberis petit, reliqua omnia populo Romano dedit. Sed Metellus, promiſſis aſtuti hominis diffidens, legatos in ſuas partes trahere ſtudet, ceterum omnia, quae ad debellandum hoſtem pertinerent, ſtrenue peragit.]

Interea Iugurtha, ubi, quae Metellus agebat, ex nunciis accepit, ſimul de innocentia ejus certior Romae factus, diffidere ſuis rebus, ac tum demum veram deditionem facere conatus eſt. Igitur legatos ad conſulem cum ſuppliciis mittit, qui tantummodo ipſi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum. Itaque legatos alium ab alio divorſos adgreditur; ac paullatim tentando, poſtquam opportunos cognovit, multa pollicendo perſuadet, *uti Iugurtham maxume vivum,*

Cap. XLVI. *innocentia*, quae in eo potiſſimum cernebatur, quod munera oblata fortiter recuſabat.

cum ſuppliciis. Supplicia vocat ſigna pacis, quam ſibi expetebant. „Tenebant enim vel corollam, vel frondem ex oliva aut lauro;“ incedunt etiam apud Plautum *velatis manibus*, et apud Virgilium *ramis oleae* velati.

alium ab alio divorſos — ſingulos viritim.

poſtquam opportunos cognovit. Opportuni dicuntur homines, quibus ad noſtrum finem obtinendum uti poſſumus. Ceterum ejusmodi artificium priſcis reip. temporibus infra dignitatem putabant.

maxume, ante omnia, ſiquidem ullo modo fieri poſſet.

ſin id parum procedat, necatum ſibi tradè-rent: ceterum palam, quae ex voluntate forent, regi nunciari jubet. Deinde ipſe paucis diebus, intento atque infeſto exercitu, in Numidiam procedit: ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris: ex oppidis et mapalibus praefecti Regis obvii procedebant, parati, frumentum darè, commeatum portare, poſtremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco minus, ſed pariter, ac ſi hoſtes adeſſent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis ſigna oſtentui credere, et inſidiis locum tentare. Itaque ipſe cum expeditis cohortibus, item ſunditorum et ſagittariorum delecta manu apud primos erat; in poſtremo C. Marius legatus cum equitibus curabat: in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium

ceterum — — jubet. Aliud igitur reſponſum publice, aliud privatim dabat, pacemque nec pollicebatur, nec abnuebat.

intento atque infeſto, hoſtilem animum gerente, et acriter ſtimulato.

contra belli faciem — h. e. aliter atque in bello fieri ſolet, quippe quum agri plerumque et tuguria deſerantur.

mapalibus — de quibus vid. Cap. XVIII. Sunt pagi Numidiae, quos propter aedificiorum agreſtium formam mapalia vocat.

et inſidiis locum tentare. Supplendum videtur: *Numidas,* vel *Iugurtham.* Nam *tentari,* quod Gronovius legit, mera eſt conjectura.

in poſtremo — curabat. Cfr. Cat. Cap. 59. „Faeſulanum quendam in ſiniſtra parte *curare* jubet.

diſpertiverat, uti cum his permixti velites, quacumque accederent, equitatus hoſtium propulſarent. Nam in Iugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum et militiae erat, uti, abſens, an praeſens, pacem, an bellum gerens perniciosior eſſet, in incerto haberetur.

CAPVT XLVII.

[Metellus, *Vagae* urbi praeſidio impoſito, iterum ſupplices Iugurthae legatos, eadem, quae ſupra petiverant, repetentes, accipit, eosque ad proditionem illectos, incertos domum dimittit.]

Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vaga, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum; ubi et incolere, et mercari conſueverant Italici generis multi mortales. Huc Conſul, ſimul tentandi gratia, ſi paterent opportunitates

Velites, de quorum origine vid. Liv. XXVI. Cap. IV. et Valer. Max. II. 3. Genus militum levis armaturae, in ſubſidium equitatus inventum. Inſiliebant in equos, et, cum ad hoſtem ventum eſſet, celeri ſaltu deſcendebant.

Cap. XLVII. *forum*. Sic enim locus adpellatur, ubi vel negotiorum omnino, vel juris exercendi, vel denique emtionis venditionisque cauſa frequentes conveniunt homines.

ſimul tentandi gratia, ſi paterent opportunitates loci. Quaerat aliquis, quomodo impoſito praeſidio Metellus explorare potuerit, an paterent illius loci opportunitates, quum ipſe militum in urbem introitus certiſſimum fuerit hujus rei indicium. Sed *opportunitas* h. l. non eſt *opportunus ad defendendum loci ſitus*, ſed *munitiones*, *turres*, *arcem*, et reliqua belli ſadminicula (in oppido et prope moenia) ſignificat, quae occupata demum urbe ex-

loci, praesidium imposuit; praeterea imperavit frumentum, et alia, quae bello usui forent: ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum (iuvaturum exercitum) etiám paratis rebus munimento fore. Inter haec negotia Iugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem orare: praeter suam liberorumque vitam, omnia Metello dedere. Quos item, uti priorés, Consul illectos ad proditionem domum dimittebat: regi pacem, quam postulabat, neque abnuere, neque polliceri, et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

CAPVT XLVIII.

[Compertis Iugurthae dolis, cognitaque Numidarum perfidia, Metellus armis certare statuit. Hostis autem exercitum Romanum per tramites occultos antevenit, et prope flumen *Muthul* considet.]

plorari poterant. Ceterum *patere* h. l. est *vacuum esse ab hostium praesidio*. *Si paterent* pro: *an* paterent. Id autem explorare voluit Metellus, quo facilius, an dolum sibi parasset hostis, cognosceret.

quod res monebat, quod ex ipsa mercatorum frequentia colligi poterat.

etiam paratis rebus, auch den schon getroffenen Einrichtungen. Mihi quidem verba, quae Cortius uncis inclusit: *juvaturum exercitum*, a loci sententia minime abhorrere videntur, siquidem sequens *conjunctio „etiam“* divisa legatur: *et jam*. Nam et belli adjumenta se facilius impetraturum et res jam paratas conservaturum sperabat.

impensius modo. Vocem *modo* Comparativo adjectam vides pluribus locis; e. g. Cap. LXXV.

promissa exspectare — exspectare, utrum promissa legatorum *expleantur*.

Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis compoſuit, ac ſe ſuis artibus tentari animadvortit; quippe cui verbis pax nunciabatur, ceterum re bellum aſperrumum erat: urbs maxuma alienata, ager hoſtibus cognitus, animi popularium tentati, coactus rerum neceſſitudine, ſtatuit armis certare. Igitur explorato hoſtium itinere, in ſpem victoriae adductus ex opportunitate loci, quas maxumas copias poteſt omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiae, quam Adherbal in diviſione poſſederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul; a quo aberat mons ferme millia paſſuum XX. tractu pari, vaſtus ab natura et humano cultu: ſed ex eo medio quaſi collis oriebatur, in immenſum pertinens, veſtitus oleaſtro ac mirtetis, aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoſo gignuntur.

Cap. XLVIII. *Compoſuit* — comparavit.

ſuis artibus — iisdem, quibus ipſe uſus erat, dolis.

quippe cui verbis pax nunc., ceterum; quamvis enim verbis *ei* pax nunciabatur, *tamen* etc.

hoſtibus cognitus — ab hoſtibus exploratus.

poſſederat h. l. poſſidendam acceperat.

tractu pari, h. e. ita ſitus, ut juxta flumen in longitudinem porrigeretur.

vaſtus ab natura et humano cultu, neque natura ſua fertilis, nec ab hominibus cultus. Sic apud Cic. X. Epiſt. 15. dux dicitur „*ab equitatu firmus.*“

quae humi arido etc. Qui haec verba retinenda cenſent ex opt. Mſſ. et. Codd. auctoritate, vocem *ſolo* omiſſam putant, eamque ita ſupplent, ut

Media autem planicies deserta, penuria aquae: praeter flumini propinqua loca: ea consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur.

CAPVT XLIX.

[Iugurtha cum suis in colle considet, singulasque exercitus partes, ac multos adeo milites viritim ad virtutem bellicam hortatur. Metellus autem ex improviso hostibus conspectis, ordines commutat, aciemque instruit.]

Igitur in eo colle, quem, transvorso itinere, porrectum docuimus, Iugurtha, extenuata suorum acie, consedit: elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem praefecit, eumque edocet, quae ageret; ipse propior montem cum omni equitatu pedites dilectos collocat: dein singulas turmas atque manipulos circumiens monet atque obtestatur, *uti memores pristinae virtutis et victoriae seque regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant: cum his certamen fore, quos antea victos sub jugum miserint: ducem illis, non animum mutatum: quae ab imperatore decuerint, omnia suis*

arenoso humi idem sit, quod: *solo arenoso humi*. Quod enim in quibusdam legitur: *humi in arido atque arenoso loco* — id pro glossa habent.

Media planicies inter collem et fluvium extensa.

Cap. XLIX. *transvorso itinere*, ita ut esset a latere eorum, qui montem transibant.

sub jugum miserint. Confr. Cap. 38.

quae ab imperatore decuerint — sc. providerí.

proviſa; locum ſuperiorem, uti prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus manum conſere-rent. Proinde parati intentique eſſent, ſigno dato, Romanos invadere: illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum aerumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque, ob militare facinus, pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii ſui, et eum ipſum aliis oſtentare: poſtremo, pro cujusque ingenio, pollicendo, minitando, obteſtando, alium alio modo excitare: cum interim Metellus, ignarus hoſtium, monte degrediens cum exercitu conſpicitur. Primo dubius, quidnam inſolita facies oſtenderet, (nam inter virgulta equi Numidaeque confederant, neque plane occultati humilitate arbo-

locum ſuperiorem ſc. ſe illis providiſſe.

prudentes — h. l. gnari locorum. Nam qui alicujus rei ſcientiam habet, *prudens* ſaepiſſime dicitur.

Ad hoc — praeter hanc, quae ad univerſum exercitum pertinuerat, orationem, ſingulos quoque commonefaciebat.

extulerat. Verbum hoc, quod ad pecuniae largitionem ſignificandam vix aptum videtur, quum ad honorem proprie pertineat, eodem fere modo ad utrumque (pecuniam puta et honorem) retulit, quo Cap. XLII. dixit: multos mortales *ferro* aut *fuga* exſtinxit.

aliis oſtentare tanquam virtutis induſtriaeque exemplum, imitatu dignum.

quidnam inſolita facies oſtenderet — quidnam eſſet illud, quod praeter opinionem in colle poſitum ſpectaret.

rum, et tamen incerti, quidnam esset: cum natura loci, tum dolo ipsi atque signa militaria obscurati) dein, brevi cognitis insidiis, paullisper agmen constitit. Ibi commutatis ordinibus, in dextero latere, quod proxumum hostis erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit: inter manipulos funditores et sagittarios dispertit: equitatum omnem in cornibus locat: ac pauca pro tempore milites hortatus, aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis, in planum deducit.

CAPVT L.

[*Summa Capitum L. LI. LII et LIII.* Rutilius legatus ad flumen, comitante expeditorum manu, praemissus locum castris idoneum antecapit; procedunt deinde Marius atque Metellus; montem ab iis relictum occupat Iugurtha; tum signo dato Romanos adgreditur atque con-

incerti h. l. vocantur Numidae propterea, quod distincte *cerni* nequibant. Passivam igitur involvit significationem, quum alias *haesitantem*, sive *dubium animi* significet. Et recte quidem Cortius vocabulum *certus* a *cernendo* derivat, ut *certus* amicus sit: *spectatus, certe cognitus.* Sic etiam alibi Noster *infestum* dicit eum, *qui infestatur, ignarum, qui ignoratur.* Igitur *incerti, quidnam esset* est nostrum: *nicht deutlich zu erkennen.*

commutatis ordinibus. Hastati enim, qui cum flumine decurrente recta processerant, quum hostis a latere esset, dextrorsum vertebantur.

Inter manipulos h. e. inter manipulorum intervalla.

pauca hortatus. Sic Cat. XXVII. *multa* de ignavia eorum *questus.*

pro tempore — pro temporis brevitate.

transvorsis principiis. Non itaque statim in hostem ducebat, sed, sua via progressus, primas copiarum partes, latere ad Iugurtham converso, incedere jubebat.

turbat, qui ancipiti premuntur periculo. — Quum die fere praeterlapso, in summa conturbatione, eventus incertus, militumque omnium ardor languidior esset, Metellus quatuor cohortes adversus hostium pedites collocatas ad perseverantiam hortatur. Neque minus strenue Iugurtha suos milites circumire, et ipse cum dilectis omnia tentare. — Tandem Romani, et locorum asperitate, et hostium cunctatione in discrimen adducti, collem adversum adscendentes, Numidas loco pellunt, funduntque, paucos tamen interficiunt. Bomilcar autem, Rutilium sequutus, haud procul ab eo in planicie suos collocat, mox legatum securum, neque Numidas videntem, aggreditur. — Romani ex pulvere coorto hostis adventum cognoscunt. Magno utrimque clamore concurritur. Numidae, elephantorum, ramis impeditorum, auxilio destituti, fugam capiunt. Illi, dolum insidiasque timentes, instructo agmine, Metello obviam procedunt. Et quum, obscura nocte, parum abesset, quin suos pro hostibus haberent, tandem se invicem laeti agnoscunt.]

Sed ubi Numidas quietos, neque colle degredi animadvortit, veritus ex anni tempore et inopia aquae, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemisit ad flumen, uti locum castris antecaperet: existumans, hostis crebro impetu et transvorsis praeliis iter suum remoraturos, et

CAP. L. *transvorsis proeliis* — Transvorsa proelia opponuntur adversis. Hostis enim a latere collocatus *transvorso*, sive *obliquo* impetu pugnat.

quoniam armis diffiderent, laſſitudinem et ſitim militum tentaturos. Dein ipſe pro re atque loco, ſicuti monte deſcenderat, paullatim procedere: Marium poſt principia habere: ipſe cum ſiniſtrae alae equitibus eſſe, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos ſuos praetergreſſum videt, praeſidio quaſi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus deſcenderat: ne forte cedentibus adverſariis receptui, ac poſt munimento foret. Dein, repente ſigno dato, hoſtis invadit. Numidae alii poſtremos caedere; pars a ſiniſtra ac dextera tentare; infenſi adeſſe atque inſtare: omnibus locis Romanorum ordines conturbare; quorum etiam qui firmioribus animis obvii hoſtibus fuerant, ludificati incerto praelio, ipſi modo eminus ſauciabantur, neque contra feriundi, aut manum conſerendi copia erat. Antea jam docti ab Iugurtha equites, ubicum-

laſſitudinem et ſitim militum tentaturos. Obſervent h. l. juvenes, verbum *tentare*, quod ad homines proprie pertineat, cum Accuſativo *ejus rei, qua tentantur illi*, conjunctum eſſe. Sic Cap. 46. inſidiis *locum* tentare; et alibi ſaepiſſime.

pro re et loco, quatenus praeſens rei conditio locique natura permittebat.

poſt principia. Principem autem locum in hac nova agminis ordinatione occupaverant ſiniſtrae alae equites, qui antea in ſiniſtro latere collocati nunc in expeditarum cohortium locum ſucceſſerant. Poſt principia, primam ſcilicet aciem curaturus, Marius incedebat.

qua ſc. *parte* h. e. ubi.

ludificati — ludibrio habiti.

que Romanorum turba insequi coeperat, non confertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi. Ita numero priores, si ab persequendo hostis deterrere nequiverant, disjectos ab tergo, aut lateribus circumveniebant: sin opportunior fugae collis, quam campi fuerant; ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere: nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

CAPVT LI.

Ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda atque miserabilis: dispersi a suis pars cedere, alii insequi; neque signa, neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes, cives permixti; nihil consilio, neque immi ardore abreptum, ex ordine suo temere prodiisse. Sic dissipatam hostium turmam Numidae, subito ex locis, in quos se receperant, proruentes aggrediebantur.

numero priores. Quicunque aliis antecellit, *prior* dicitur. Hinc *numero priores* i. q. plures.

disjectos ab tergo, aut lateribus circumveniebant. Quaeras h. l., cur acies Romanorum interrupta sit, et cur ita disjecti fuerint milites, ut Numidis circumveniendi eos data sit opportunitas. Sed omnis obscuritas tollitur, si cogitamus, militem Romanum, diu vexatum, tandem ad persequendum veloces dissipatosque Numidas animi ardore abreptum, ex ordine suo temere prodiisse. Sic dissipatam hostium turmam Numidae, subito ex locis, in quos se receperant, proruentes aggrediebantur.

Cap. LI. *facies totius negotii varia* etc. Negotium h. l. non pugnam tantum, et pugnandi modos, sed fugam quoque, et agminis utriusque conditionem significat. *Facies* rei est adspectus, quem praebet. *Facies varia* est variarum rerum adspectus.

perio agi: forsomni a regere. Itaque multum die processerat, cum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore et aestu languidis, Metellus ubi videt Numidas minus instare, paullatim milites in unum conducit, ordines restituit, et cohortes legionarias IIII. advorsum pedites hostium collocat. Eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare, hortari milites, *ne deficerent, neu paterentur hostis fugientes vincere: neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent: in armis omnia sita.* Sed ne Iugurtha quidem interea quietus; circumire, hortari, renovare praelium, et ipse cum dilectis tentare omnia: subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

die — dici. Sic Cap. LII. „*et jam die vesper erat.*“

Cohortes legionarias IIII; dimidiam fere legionis partem. Nam decem cohortibus legionem constitisse notissimum est.

Neque illis — Romanis nempe militibus. Dicere potuisset *sibi.* Quamvis autem supra „locum castris anteceptum esse“ dixit, tamen, quod nimis remotus erat iste locus, recte nulla sibi castra relicta esse dicit.

Sed ne Iugurtha quidem — Etsi locorum gnaro, et inter virgulta pugnae adsueto regi minus metuendum videbatur, tamen *ne hic quidem* etc.

dubiis, h. e. utrum resistant amplius, an fugiant, incertis. Nam *dubii firmis* opponuntur.

CAPVT LII.

Eo modo inter ſe duo imperatores ſummi viri, certabant: ipſi pares, ceterum opibus dis-paribus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorſus: Iugurthae alia omnia, praeter milites, opportuna. Denique Romani, ubi intellegunt, neque ſibi perfugium eſſe, neque ab hoſte copiam pugnandi fieri; et jam die veſper erat; advorſo colle, ſicuti praeceptum fuerat, evadunt. Amiſſo loco, Numidae fuſi fugatique, pauci interiere; plerosque velocitas et regio hoſtibus ignara tutata ſunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedeſtrium praefectum ab Iugurtha ſupra diximus, ubi eum Rutilius praetergreſſus eſt, paullatim ſuos in aequum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo praemiſſus erat, feſtinans pergit, quietus, uti res poſtulabat, aciem exornat: neque remittit, quid ubique hoſtis ageret, explorare. Poſtquam Rutilium conſediſſe jam, et animo vacuum accepit, ſimulque ex Iugurthae praelio

Cap. LII. *Metello virtus militum erat* h. e. milites Metelli virtute Numidis praeſtabant.

advorſo colle evadunt. Collem igitur ipſum vel adſcendunt, vel propius ſubeunt. Nam ita evadunt loco, quem hucusque tenuerant, ut collis, in cujus parte ſuperiore hoſtium defeſſa manus conſederat, iis adverſus eſſet.

in aequum locum — in planitiem, ſuperato colle.

neque remittit — — *explorare* — ſemper explorat.

animo vacuum — ſecurum, nihil timentem.

clamorem augeri; veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus ſuis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arte ſtatuerat, quo hoſtium itineri obſiceret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii caſtra procedit.

CAPVT LIII.

Romani ex improviſo pulveris vim magnam animadvortunt; nam proſpectum ager arbuſtis conſitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari: poſt ubi aequabilem manere, et, ſicuti acies movebatur, magis magisque adpropinquare vident, cognita re, properantes arma capiunt, ac pro caſtris, ſicuti imperabatur, conſiſtunt. Deinde, ubi propius ventum, utrimque magno clamore concurrunt. Numidae tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant; poſtquam impeditos ramis arborum, atque ita disjectos circumveniri vident, fugam faciunt: ac plerique, abjectis armis, collis, aut

laborantibus ſuis — in periculo verſantibus.

arte — denſis ordinibus.

Cap. LIII. *nam — prohibebat.* Haec verba rationem continent, cur dixerit: *ex improviſo*. Nam ſi vacuus arbuſtis locus fuiſſet, e longinquo videre debuiſſent pulverem.

tantummodo remorati, dum etc. tamdiu reſiſtebant etc. Nam *remorari* nihil aliud eſt, quam *loco*, ante pugnam occupato, manere. Alias autem, ſenſu transitivo, *retardandi* notionem involvit.

fugam faciunt. Obſervent juvenes hunc loquendi modum. Quippe non ii, qui alios fun-

noctis, quae jam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quatuor capti, reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti. At Romani, quamquam itinere, atque opere caſtrorum et praelio feſſi laetique erant; tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, inſtructi intentique obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remiſſi patiebatur. Ac primo, obſcura nocte, poſtquam haud procul inter ſe erant, ſtrepitu, velut hoſtes adventare, alteri

dunt fugantque, ſed *ipſi fugientes* fugam, ſicuti peregrinantes *iter*, *facere* dicuntur. Hinc paſſive: „*fugam ad ſe vorſum fieri*“ dixit Cap. LVIII.

feſſi laetique erant. Quamvis cogitari queat, milites labore feſſos ſimul opere feliciter transacto laetos fuiſſe, tamen ſcribentis mendam in omnes fere codd., (quorum auctoritate nixus Cortius vocem *laeti* retinet) irrepſiſſe ſuspicor; *laſſique* legendum opinor. Non enim *laetitia per ſe*, ſed immoderata tantum et effuſa, remorari poterat ab eundo et obviam procedendo. Imo laeti milites, ſiquidem, non ſua ſalute contenti, Metellum quoque incolumem eſſe vellent, ipſo animi gaudio facile impelli poterant ad ſubveniendum bono imperatori. — Deinde ſi Noſter ſignificare voluiſſet, laetitiam illos remorari potuiſſe, duas iſtas voces, parum inter ſe congruentes, non tam arcte junxiſſet, quoniam in priori membro *eundi obſtacula* memorantur, quibus *laetitia* moderata adnumerari nequit. Pleonasmos autem Noſtro uſitatos eſſe, patet e vocibus paulo poſt adjectis: *nihil languidi, neque remiſſi.* — Verum ſi quis lectionem vulgarem tuetur, fatendum ei certe erit, parum aptam eſſe vocum illarum combinationem.

haud procul inter ſe erant, Rutilii nempe et Metelli milites.

velut hoſtes adventare. Haec etiam verba obſcura videbuntur tironibus, quum deſit vox, quae regat infinitivum *adventare*. Hic autem a praecedente *ſtrepitu* mihi quidem pendere viſus eſt, ut: *ſtrepitu velut hoſtes adventare* idem ſit, quod: audito ſtrepitu velut adventantium hoſtium.

apud alteros formidinem simul, et tumultum facere: et paene imprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque praemissi equites rem exploravissent. Igitur, pro metu, repente gaudium exortum, milites alius alium laeti adpellant, acta edocent atque audiunt: sua quisque fortia facta ad coelum ferre. Quippe res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet; advorsae res etiam bonos detractant.

CAPVT LIV.

[Metellus, dum in castris moratur, per transfugas aliosque homines Iugurthae conditionem explorari jubet. Quem quum in loca saltuosa se recepisse, ibique exercitum coëgisse comperisset, statuit alio more, non proeliis, bellum gerere, Numidiamque vastare, loca munita incendere coepit. Quo facto Iugurtha, terrore perculsus, maximam agminis partem in iisdem locis relinquit, ipse cum delectis equitibus Romanos ex improviso aggreditur, plurimos caedit, multos capit.]

Metellus in isdem castris quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, meritos in praeliis more militiae donat, universos in concione laudat atque agit gratias; hortatur, *ad cetera, quae*

Cap. LIV. *saucios cum cura reficit.* Quanta comitate imperatores haec et alia hujusce-modi officia militibus praestare soliti sint, cognoscere licet e Caes. III. Civ. Cap. 75. et Liv. II. 47.

more militiae donat. Cujus bellici moris exemplum adfert Liv. XXVI. 48.

levia ſunt, parem animum gerant: pro victoria ſatis jam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore. Tamen interim transfugas et alios opportunos, Iugurtha ubi gentium, aut quid agitaret; cum paucisne eſſet, an exercitum haberet; ut ſeſe victus gereret, exploratum miſit. At ille ſeſe in loca ſaltuoſa et natura munita receperat: ibique cogebat exercitum numero hominum ampliorem, ſed hebetem infirmumque, agri ac pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem ſequitur; quo cujusque animus fert, eo discedunt: neque id flagitium militiae ducitur: ita ſe mores habent. Igitur Metellus ubi videt regis etiam tum animum ferocem; bellum renovari, quod, niſi ex

quae levia ſunt. Indicativus ex more priſcorum poſitus. Exempla vide Cap. LXIII. et Catil. Cap. XXVII. Terent. Eun. A. III. Sc. 3., ut innumera alia taceam.

ad cetera, quae levia ſunt, parem etc. reliqua belli negotia, leviora transactis, eodem animo peragant.

transfugas — quippe qui locorum gnari Iugurtham explorare poſſent.

cultorem (exercitum) ut alibi *victorem.* Recte etiam ad pecora hoc verbum referri docet doct. Cortius ad Cap. LXXXV. Nam *colere* eſt idem quod *tractare* et *habere;* unde Cap. V. legimus: Iugurtham eodem *cultu*, quo liberos ſuos *habuit.* Et loco ſupra citato: „neque illos arte (arcte) colam, me opulenter.“

ea gratia. Sic: *ea* cauſa Plaut. Trucul. Prol. v. 9. pro: *ejus rei* cauſa, eam ob rem.

ita ſe mores habent. Non apud Numidas ſolum, ſed etiam apud complures gentes antiquas, praeſertim Aſiaticas. Teſtantur libri ſacri, Herodotus, Thucydides, Herodianus. Et Germanos Tacitus, refert, „*ſine pudore flagitii, ſine cura ducum abiiſſe.*“

illius lubidine, geri poſſet; praeterea iniquum certamen ſibi cum hoſtibus, minore detrimento illos vinci, quam ſuos vincere: ſtatuit non praeliis, neque acie, ſed alio more bellum gerundum. Itaque in Numidiae loca opulentiſſima pergit, agros vaſtat, multa caſtella et oppida temere munita, aut ſine praeſidio capit incenditque, puberes interficit, alia omnia militum praeda eſſe. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obſides; frumentum et alia, quae uſui forent, adfatim praebita: ubicumque res poſtulabat, praeſidium impoſitum. Quae negotia multo magis, quam praelium male pugnatum (ab ſuis) regem terrebant. Quippe cui ſpes omnis in fuga ſita, ſequi cogebatur; et qui ſua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex copia, quod optumum videbatur, conſilium capit: exercitum plerumque in isdem locis opperiri jubet; ipſe cum delectis equitibus Metellum ſequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantis repente adgreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur: nemo omnium intactus profugit. Et Numidae, priusquam ex caſtris ſubveniretur, ſicuti juſſi erant, in proxumos collis discedunt.

ex copia, pro illo rerum ſtatu. Nam copia h. l. eſt opportunitas, occaſio.

exercitum plerumque, majorem exercitus partem. Sic *pleraque nobilitas* occurrit ſupra.

CAPVT LV.

[Magnam ſibi interim, rebus feliciter geſtis, laudem apud cives ſuos comparaverat Metellus. Supplicia Romae decernebantur, cives exſultabant gaudio. Sed quo clarior apud ſuos evaſerat Conſul, eo circumſpectius in negotio bene coepto perſeverabat.]

Interim Romae gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus: ut ſeque et exercitum more majorum gereret; in advorſo loco, victor tamen virtute fuiſſet; hoſtium agro potiretur; lugurtham magnificum ex Auli ſecordia, ſpem ſalutis in ſolitudine, aut fuga coegiſſet habere. Itaque Senatus OB EA FELICITER ACTA DIS IMMORTALIBVS SVPPLICIA DECERNERE: civitas trepida antea et ſollicita de belli eventu, laeta agere: fama de Metello praeclara eſſe. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis feſtinare, cavere tamen, necubi hoſti opportunus

CAP. LV. *in advorſo loco, victor tamen.* Videmus particulam *tamen* poni poſſe, etiamſi non praecedat *licet*, ſive alia hujus generis conjunctio. Latet enim in antecedentibus.

magnificum — h. l. *arrogantem, jactabundum*, cum alias magnificus animus laudi ducatur, et in praeſtantiſſimis magnorum hominum virtutibus numeretur. Vide Cic. I. Offic. 23.

Supplicia, quae *ſupplicationes* quoque, et *gratulationes*, ac *deorum ſalutationes* dicuntur, vel mali imminentis deprecandi, vel, re feliciter geſta, grati animi teſtificandi cauſa inſtituebantur.

laeta eſt Nominat. ſing.

necubi — ne alicubi. Particulam iſtam ex *ne aliquo ubi* conflatam eſſe docet Cort. eruditiſſimus, idemque exemplis probat, Veteres Adverbiis etiam pronomina junxiſſe.

necubi hoſti opportunus ſieret,

fieret: meminiſſe, poſt gloriam invidiam ſequi. Ita quo clarior erat, eo magis animi anxius: neque poſt inſidias Iugurthae effuſo exercitu praedari: ubi frumento, aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praeſidium agitabant: exercitus partim ipſe, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam praeda, ager vaſtabatur. Duobus locis, haud longe inter ſe, caſtra faciebant. Vbi vi opus erat, cuncti aderant: ceterum, quo fuga atque formido latius creſcerent, divorſi agebant. Eo tempore Iugurtha per collis ſequi: tempus, aut locum pugnae quaerere: qua venturum hoſtem audierat, pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere: modo ſe Metello, interdum Mario oſtendere; poſtremos in agmine tentare, ac ſtatim in collis regredi, rurſus aliis, poſt aliis minitari: neque praelium facere, neque otium pati; tantummodo hoſtem ab incepto retinere.

CAPVT LVI.

[Metellus Zamam oppugnare ſtatuit; Iugurtha, cognito illius conſilio, eum antevenit, praeſidiumque urbis firmat. Quo facto cum delectis equitibus Siccam pergit,

ne opportunitatem cum ſucceſſu invadendi Iugurthae praeberet.
poſt gloriam invidiam ſequi. Cfr. Corn. Nep. in Chabria III.
neque poſt inſidias Iugurthae effuſo exercitu praedari: poſt factas ab I. inſidias noluit milites diſperſos atque palantes praedari.
praeda — praedando.

ubi parum abfuit, quin Marium, frumenti quaerendi cauſa eo profectum, opprimeret.]

Romanus imperator ubi ſe dolis fatigari videt, neque ab hoſte copiam pugnandi fieri; urbem magnam, et in ea parte, qua ſita erat, arcem regni, nomine Zamam, ſtatuit oppugnare: ratus d, quod negotium poſcebat, Iugurtham laboantibus ſuis auxilio venturum, ibique praelium bre. At ille, quae parabantur, a perfugis edocus, magnis itineribus Metellum antevenit; oppdanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis; quod genus ex copiis regis, qua fallere nequibant, firmiſſumum. Praeterea policetur, in tempore ſemet cum exercitu adfore. Ita compoſitis rebus, in loca quam maxume occulta discedit, ac poſt paullo cognoſcit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohotibus Siccam miſſum: quod oppidum primum

Cp. LVI. *arcem regni.* Diſcat hic juvenes, *arcem* ab *arndo* (hoſte) ſic dictam non mdo eſſe *caſtellum* in fine regnis, propulſandi hoſtis cauſa exſtructum, ſed etiam quodvi oppidum munitum.

aborantibus ſuis, in discrim ab exercitu oppugnante addtis.

uia fallere nequibant etc. Nn quum de transfugis, ſi foe in popularium manus incidiſſent, graviſſimum ſupplicium ſumeretur, metu poenarum fideles eſſe cogebantur. Manus autem eis praeciſas, ipſos interdum in crucem actos, aut beſtiis objectos eſſe accepimus.

in tempore — juſto tempore.

frumentatum — frumenti quaerendi cauſa. Sic Cap. XCIII. caſtris *aquatum* egreſſus. Dicitur etiam *materiari*, *lignari*.

omnium poſt malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum dilectis equitibus noctu pergit, et jam egredientibus Romanis in porta pugnam facit ſimul magna voce Siccenſes hortatur, *uti cohortis ab tergo circumveniant: fortunam praeclari facinoris caſum dare; ſi id fecerint, poſtea ſeſe in regno, illos in libertate ſine metu aetatem acturos.* Ac ni Marius ſigna inferre atque evadere oppido properaviſſet, profecto cuncti, aut magna pars Siccenſium fidem mutaviſſent. Tanta mobilitate ſeſe Numidae agunt. Sed milites Iugurthini paulliſper ab rege ſuſentati, poſtquam majore vi hoſtes urguent, paucis amiſſis, profugi discedunt.

CAPVT LVII.

[Conſociatis ad urbem Zamam Marii Metelliquc copiis, oppidum illud undique cingitur. Fit proelum, cujus diverſi ex utraque parte modi deſcribuntur.]

Marius ad Zamam pervenit. Id oppidum in campo ſitum, magis opere, quam natura munitum erat: nullius idoneae rei egens, armis vi-

caſum — occaſionem.

fidem mutaviſſent, a Romanis deſciviſſent.

Cap. LVII. *ad Zamam*. Praepoſitio nomini urbis praeter conſuetudinem adjecta videri poſſit. Sed apud hiſtoricos ſimilia paſſim exempla inveniri probavit Cortius.

magis opere quam natura, muris, turribus et reliquis hujuscemodi operibus, arte factis, munitius erat oppidum, quam ſitu, rupibus, montibus etc.

risque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit. Legatis imperat, ubi quisque curaret: deinde, ſigno dato, undique ſimul clamor ingens oritur. Neque ea res Numidas terret; infenſi interque fine tumultu manent: praelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare; alii ſuccedere, ac murum modo ſubfodere, modo ſcalis adgredi: cupere praelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos ſaxa volvere; ſudes, pila, praeterea picem ſulphure et taeda mixtam ardentia mittere. Sed nec illos, qui procul manſerant, timor animi ſatis muniverat. Nam plerosque jacula tormentis, aut manu emiſſa volnerabant: parique periculo, ſed fama impari, boni atque ignavi erant.

CAPVT LVIII.

[Iugurtha interim, Romanos ex improviſo aggreſſus, vehementer eos perturbat, magnamque eorum partem occidit. Pauci Romanorum fortiter reſiſtunt. Metellus, ſuos ad ſe fugientes conſpiciens, omnem equitatum, et C. Ma-

legatis imperat, ubi quisque curaret, legatorum cuique ſuum adſignat locum, ſua tribuit negotia.

glande — globulis plumbeis, quos funda aliisque machinis jaculabantur.

ardentia ad picem, ſulphur et taedam refertur.

rium delegat, quo facto Numida, multis amiſſis, in loca munita ſe recipere cogitur.]

Dum apud Zamam ſic certatur, Iugurtha ex improviſo caſtra hoſtium cum magna manu invadit: remiſſis, qui in praeſidio erant, et omnia magis, quam praelium exſpectantibus, portam irrumpit. At noſtri, repentino metu perculſi, ſibi quisque pro moribus conſulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars volnerati, aut occiſi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis Romani, grege facto, locum cepere, paullo, quam alii, editiorem; neque inde maxuma vi depelli quiverunt: ſed tela eminus miſſa remittere, pauci in pluribus minus fruſtrati: ſin Numidae propius acceſſiſſent, ibi vero virtutem oſtendere et eos maxuma vi caedere, fundere atque fugare.

Cap. LVIII. *remiſſis, qui in praeſidio erant* — dum animo remiſſo erant, neque quidquam timebant milites in praeſidio collocati. Nam *remiſſus* dicitur, qui non eſt intentus in hoſtem.

pro moribus idem quod ſupra: *pro ingenio* — pro ſua cujusque vel audacia, vel timiditate.

memores nominis Romani — gloriae Romanorum, ſive: Romanos ſe eſſe. Nomen enim ſaepe ipſum populum ſignificat, adjecta notione dignitatis. Vid. Horat. III. Od. v. 10. „anciliorum, et nominis, et togae oblitus.“

pauci in pluribus minus fruſtrati, quum eorum pauci eſſent, non fruſtra mittebant tela in denſius hoſtium agmen.

ibi vero, elegantiſſime ad fortem incenſi animi conatum ſignificandum.

fundere atque fugare. Funduntur enim, qui ita diſſipantur, aut propelluntur, ut reverti poſſint. Itaque pleonas-

Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem hoſtilem ab tergo accepit: dein, converſo equo, animadvortit, fugam ad ſe vorſum fieri: quae res indicabat popularis eſſe. Igitur equitatum omnem ad caſtra propere mittit, ac ſtatim C. Marium cum cohortibus ſociorum; eumque lacrumans *per amicitiam perque rempublicam obſecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hoſtis inultos abire ſinat:* ille brevi mandata efficit. At Iugurtha munimento caſtrorum impeditus, cum alii ſuper vallum praecipitarentur, alii in anguſtiis ipſi ſibi properantes obficerent, multis amiſſis, in loca munita ſeſe recepit. Metellus, infecto negotio, poſtquam nox aderat, in caſtra cum exercitu revortitur.

CAPVT LIX.

[Redintegrata poſtero die urbis oppugnatione, Iugurtha ex occulto Romanos invadit, qui perterriti adſpectu inopinato, poſt a ſuis adjuti, fortiter quidem aliquamdiu reſiſtunt, poſtea tamen, mixto peditibus Numidarum equitatu, paene vincuntur.]

Igitur poſtero die, prius, quam ad obpugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte;

mus non ineſſe videtur in hac verborum conjunctione.

popularis — ſuos cives.

qua regis adventus erat, pro caſtris agitare jubet: portas et proxuma loca tribunis dispertit: deinde ipſe pergit ad oppidum, atque, ut ſuperiore die, murum adgreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente noſtros invadit. Qui in proximo locati fuerant, paulliſper territi perturbantur: reliqui cito ſubveniunt. Neque diutius Numidae reſiſtere quiviſſent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congreſſu facerent. Quibus illi freti, non, ut equeſtri praelio ſolet, ſequi, dein cedere, ſed advorſis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem:

Cap. LIX. *qua regis adventus erat*, unde regis adventus exſpectabatur.

pro caſtris — ante caſtra. Cfr. Cap. XCIV. „*pro muro dies noctesque agitare.*“

qui in proximo locati fuerant. Non oppido proximi, ſed adveniente Iugurthae. Idem quod *primi, quos primos offendebat.*

diutius. Supplendum videtur: quam usque ad reliquorum adventum. Saepiſſime tamen comparativo pro gradu primo utuntur ſcriptores, ita quidem, ut ellipſis aliqua cogitari poſſit, non autem neceſſario cogitetur.

pedites cum equitibus permixti. Ante Q. Navii, centurionis, tempora equites a peditibus ſegregati in proelium ibant. Illum autem has exercitus partes miſcere coepiſſe docet Livius XXVI. 4. Numidae vero et Germani eundem morem, vel ſponte ſua, vel Romanorum exemplo docti, ſequebantur.

illi. Pronomen hoc ad equites Numidarum, non ad remotius ſubſtantivum, uti ſolet, refertur.

non, ut equeſtri proelio ſolet etc. Hunc equeſtris proelii morem deſcribit Livius XXXI. 35. „Crediderunt regii, genus pugnae, quo adſueverant, fore, ut equites invicem infequentes, refugientesque, nunc telis uterentur, nunc terga darent.“

advorſis equis concurrere — recta via, nec unquam revertentes, in hoſtem invehi.

ita expeditis peditibus ſuis, hoſtis paene victos dare.

CAPVT LX.

[Apud Zamam interim ardentiſſmo utrimque animo pugnatur. Marius, ſimulata paulisper rei diffidentia (quaſi capere urbem ſe poſſe deſperaret) murum vehementer adgreditur. Parum abeſt, quin occupetur; ſed oppidanorum concurſus milites, tantum non ſumma murorum faſtigia tenentes, repellit. Nox intervenit.]

Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Vbi quisque legatus, aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis quam in ſeſe ſpem habere: pariter oppidani agere. Oppugnare, aut parare omnibus

hoſtis paene victos dare. Cortius verba: *victos dare* ſumit pro: *vincere*, pluribus Terentii Plautique exemplis hanc phraſin illuſtrans; e. g. *exornatum dare* Ter. Heautont. A. V. Sc. 1. extr. ut intelligendum ſit: per expeditos ſuos pedites hoſtes paene vincebant. Quae quidem interpretatio cum propterea veriſimilis mihi videatur, quod difficultatem quandam adfectare ſolet Criſpus, tamen aliter exponi poſſe locum idem ille vir doct. concedit. Quippe ita fregerat hoſtes equitatus Numidarum, ut expeditis peditibus paene victos illos traderet. — Obſervent interim juvenes, *hoſtium* nomine h. l. Romanos, praeter conſuetudinem, ſignificatos eſſe.

Cap. LX. *acerrume niti.* Omnes intendebat vires acerrime pugnando.

pariter — aeque fortiter.

oppugnare, aut parare omnibus locis. Illud de Romanis, hoc de oppidanis intellige. *Parabant* obſeſſi, quidquid contra oppugnantes Romanos moenia defendere poſſet. Acute obſervavit Cortius, Salluſtium, ubi de pluribus narret, commemorare primum ſingula cujusque partis facta, tum ſubjicere aliquid ſolere, quod ad utramque ſimul partem ſpectet. V. c. Cap. LXXVI. „Contra

locis: avidius alteri alteros ſauciare, quam ſemet tegere. Clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu: item ſtrepitus armorum ad coelum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defenſabant, ubi hoſtes paullulum modo pugnam remiſerant, intenti praelium equeſtre proſpectabant. Eos, uti quaeque Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadvorteres: ac, ſicuti audiri a ſuis, aut cerni poſſent, monere alii, alii hortari, aut manu ſignificare, aut niti corporibus, et huc, illuc, quaſi vitabundi, aut jacientes tela, agitare. Quod ubi

haec oppidani feſtinare, *parare*: *prorſus ab utrisque* nihil reliquum fieri. Et eodem fere modo ſexcenties.

avidius alteri alteros ſauciare, quam ſemet tegere. Sic Liv. II. 6. „neuter dum hoſtem vulneraret, ſui protegendi corporis memor."

hortatione — militum inter ſe.

pugnam remiſerant — lentius adgrediebantur. Sic Caeſar VII Gall. 14. „diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittunt."

intenti — exſpectatione ſuspenſi, exitum videre cupientes.

uti quaeque Iugurthae res erant: prout vel favebat ei, vel adverſabatur fortuna. Res enim h. l. eſt *conditio regis*, exercitusque ab eo ducti.

ſicuti audiri a ſuis, aut cerni poſſent etc. Elegantiſſima profecto, et vividiſſimis coloribus adumbrata deſcriptio hominum, animo intento atque ſollicito procul ſuorum pericula ſpectantium, et qui oculos mentemque ita defigunt, ut, ſui ipſorum obliti, ne abſentes quidem ſe eſſe meminerint. Idem fere accidit his, quod iis, qui miſerorum caſus in theatro ſpectantes, animi dolore abrepti, exclamant, et fictam eſſe rem omnem obliviſcuntur. Sic oppidani monent atque hortantur ſuos procul pugnantes.

niti corporibus, huc illuc movere corpora cum vi et impetu, quaſi et ipſi pugnantes, aut defendentes.

Mario cognitum eſt (nam is in ea parte curabat) conſulto lenius agere, ac diffidentiam rei ſimulare: pati Numidas ſine tumultu regis praelium viſere. Ita illis ſtudio ſuorum adſtrictis, repente magna vi murum adgreditur: et jam ſcalis egreſſi milites prope ſumma ceperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. Noſtri primo reſiſtere: deinde, ubi unae atque alterae ſcalae comminutae, qui ſuperſteterant, adflicti ſunt; ceteri quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars confecti volneribus abeunt. Denique utrimque praelium nox diremit.

CAPVT LXI.

[Metellus, urbem capi poſſe deſperans, ab Zama diſcedit, praeſidioque reliquis oppidis impoſito, exercitum in hiberna dimittit. Quo facto Bomilcarem multa pollicendo corrumpit.]

Metellus, poſtquam videt fruſtra inceptum, neque oppidum capi, neque Iugurtham, niſi ex

lenius, mitigato impetu acerrimo, quo coeperat.

conſulto — eo nempe conſilio, ut nihil timentes adversarios, dum ad equitem extra muros pugnantem oculos unice converterent, repente cum ſucceſſu aggrederetur.

diffidentiam rei. Res h. l. eſt urbis occupatio, de qua deſperare ſe ſimulabat.

alia praeterea tela. Quaelibet defenſionis inſtrumenta, ne dentibus quidem exceptis, tela vocari notiſſimum eſt.

CAP. LXI. *fruſtra inceptum* — f. obſideri urbem.

insidiis, aut suo loco pugnam facere, et jam aestatem exactam esse, ab Zama discedit: et in his urbibus, quae ad se defecerant, satisque munitae loco, aut moenibus erant, praesidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam (quae proxuma est Numidiae) hiemandi gratia collocat. Neque id tempus, ex aliorum more, quieti, aut luxuriae concedit: sed, quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iugurtha fuerat, et inde, vadibus datis, clam Massivae de nece judicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam, maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur; ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat: dein

suo loco — sibi opportuno. Cfr. Cap. LIV. Sic Horat. Epod. IX. 30. ventis iturus non *suis* h. e. contrariis. Et Virg. Aen. II. alicubi; numine non nostro,

quae proxuma est Numidiae. Verba otiosa, rem notissimam insulse explanantia, ideoque suspecta.

per amicos sc. Iugurthae.

vadibus datis etc. Acute observat Cortius, nimis longum hic esse Nostrum in repetenda narratione, et ipsum verborum ordinem suspectum vide-

ri posse, quod *vades* a Bomilcare dati prius, quam ipsum capitis judicium, memorentur. Sed e repetitione vix equidem colligi posse arbitror, locum interpolatum esse. Erat enim necessaria, quo facilius intelligeretur Bomilcarem, promissa impunitate, capi potuisse.

quod ei per maxumam amicitiam, maxuma copia fallendi erat — quod is, cum regi esset amicissimus, ob eamque causam solus interdum esset cum illo, facillime necis dolique occasionem inveniebat.

fide data, *ſi Iugurtham vivum aut necatum tradidiſſet, fore, ut illi Senatus impunitatem, et ſua omnia concederet*, facile Numidae perſuadet, cum ingenio infido, tum metuenti, ne, ſi pax cum Romanis fieret, ipſe per conditiones ad ſupplicium traderetur.

CAPVT LXII.

[Bomilcar precibus lacrymisque Iugurthae animum ad deditionem impellit. Qui quum ſine ulla pactione in Romanorum fidem ſe tradidiſſet, magnamque pecuniae ſummam, cum elephantis, equis, armis perfugisque vinctis, Metelli juſſu, miſiſſet, ipſe tamen, poenarum metu, venire dubitavit, et bellum, multis diebus per dubitationem conſumtis, de integro reparavit.]

Is, ubi primum opportunum, Iugurtham anxium ac miſerantem fortunas ſuas accedit: monet atque lacrumans obteſtatur, *uti aliquando ſibi liberisque et genti Numidarum, optume merenti, provideat: omnibus praeliis ſeſe victos, agrum vaſtatum, multos mortalis captos aut occiſos, regni opes comminutas eſſe: ſatis ſaepe jam et virtutem militum, et fortunam tentatam: caveret, ne, illo cunctante, ſua omnia* — bona, quae poſſederat olim, et delicti cauſa amiſerat.

portunum ſc. fuit — ſimulac loquendi cum Iugurtha et rei cum ſucceſſu agendae occaſio oblata erat.

Cap. LXII. *ubi primum op-*

ctante, Numidae ſibi conſulant. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad imperatorem legati: *Iugurtham imperata facturum, ac ſine ulla pactione ſeſe regnumque ſuum in illius fidem tradere.* Metellus propere cunctos Senatorii ordinis ex hibernis arceſſiri jubet: eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, conſilium habet. Ita more majorum, ex conſilii decreto, per legatos Iugurthae imperat, argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum. Quae poſtquam ſine mora facta ſunt, jubet omnis perfugas vinctos adduci. Eorum magna pars, ut juſſum erat, adducti: pauci, cum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi armis virisque et pecunia ſpoliatus, cum ipſe ad imperandum

imperata facturum. Formula ſolemnis, qua deditionem nunciare ſolebant. Eandem legimus apud Curtium VIII. 10. Cfr. ſupra Cap. XLVI.

Senatorii ordinis. Hujus enim ordinis pleroſque legatorum, Quaeſtores etiam, et Tribunos ex parte, fuiſſe conſtat. Centuriones quoque primorum ordinum, rariſſime tamen omnium, in hujuscemodi conſilia vocabantur. Conf. Iul. Caeſ. Gall. XXVIII et XXXVII. Ib. XL.

argenti pondo h. e. libras, vel *librarum argenti* pondo, quarum ſingulae centum drachmis conſtabant, qui, ſi drachmam tribus groſſis aeſtimemus, duodecim fere et dimidium thaleros efficiunt, ut ducenta millia ſint 2,500,000 thaleri.

ad imperandum. Paſſiva ineſt huic verbo ſententia. Vocabatur enim Iugurtha, ut ipſi

Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum suum, et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumtis, cum modo taedio rerum adversarum omnia bello potiora duceret; interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret; multis magnisque praesidiis nequidquam perditis de integro bellum sumit. Romae Senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

CAPVT LXIII.

[Cajo Mario, viro omni virtutum genere ornato, ab haruspice magna portenduntur. De moribus ejus, rebusque gestis praemittuntur ea, quae sequentibus lucem adferant.]

imperaretur. Sed Activi sensus manet, si modo verbum referas ad imperatorem Romanum. Non autem corrupta esse Sallustii verba, quod multi interpretes putaverunt, pluribus exemplis probavit Cortius, quorum duo, quae sufficiunt, (non enim omnia sunt apta) recensebimus. Cicero IX, Ep. 25: „nunc ades, inquit, *ad imperandum*, vel ad parendum potius.“ Idem I, Or. in Verrem Cap. XVIII. „Cum haec frequentia totius Italiae Roma discesserit; quae convenit uno tempore undique comitiorum, judiciorum, *censendique* causa,

Tisidium, *Thisicam*, aut *Thisdrum* scriptum fuisse conjicit Cortius, quae urbs haud procul ab Vtica sita fuerit.

omnia bello potiora — quidvis melius quam bellum.

quam gravis casus etc. quanta foret calamitas, si ex regno in servitutem dejiceretur.

multis magnisque praesidiis — pecunia nempe, armis, equis etc.

Per idem tempus Vticae forte C. Mario per hoſtias dis ſupplicante, *magna atque mirabilia portendi* haruſpex dixerat: *proinde, quae animo agitabat, fretus dis ageret: fortunam quam ſaepiſſume experiretur; cuncta proſpera eventura.* At illum jam antea conſulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, praeter vetuſtatem familiae, alia omnia abunde erant: induſtria, probitas, militiae magna ſcientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo glo-

Cap. LXIII. *Per idem tempus* h. e. *circa* idem tempus; eodem *fere* tempore. His enim vocibus incerti notionem plerumque ineſſe, raro autem definitum temporis momentum ſignificari docet Cortius, quamvis idem concedat, apud Terentium Andr. A. IV. Sc. 4. definite dictum eſſe: per tempus advenis.

Vticae. Erat autem Vtica Africae propriae urbs maritima, caput provinciae, cujus originem narrat Iuſtin. XVIII. 4.

per hoſtias dis ſupplicante — mentem deorum ſcrutaturus, ut e ſequentibus recte colligitur. Hoſtiarum igitur diis oblatarum exta inſpici et futura praedici juſſerat. Tales autem hoſtias *harugas* ſive *harvigas* adpellatas eſſe, praeeunte Feſto, docet Cortius. Idemque ex Plutarcho refert, Marium nimis ſuperſtitioſum fuiſſe, adeo ut *ſagam* e Syria ſecum duxerit. Cfr. Valer. Max. l. 5. Ovid. XV. Met. v. 136, ubi ejusmodi hoſtiarum uſus deſcribitur.

portendi ſc. a diis per exta. Vid. Liv. XXXI. 7.

agitabat. Ecce iterum indicativi exemplum, ubi recentiores Conjunctivum ponere non dubitaſſent. Plura huc pertinentia citavimus ad Cap. LIV.

proſpera eventura. Eodem fere modo in Cat. cap. XXVI. dixit: *aſpera foedaque* evenerant, non adverbio, ſed adjectivo uſus.

praeter vetuſtatem familiae. Erat enim homo novus, obſcuris parentibus natus.

riae avidus. Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, ſtipendiis faciundis, non Graeca facundia, neque urbanis munditiis ſeſe exercuit: ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem ejus ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur. Deinde ab

Arpini. In urbe Latii, Plauti etiam et Ciceronis patria.

natus et omnem pueritiam Arpini altus. Rectior verborum conſtructio fuiſſet: natus Arpini, et omnem ibi pueritiam altus. Sed inverſam orationem amat Criſpus.

non Graeca facundia etc. Quod noſtrae aetatis juveni, etiamſi militaribus ſtudiis operam navans virtute excellat, dedecori ducitur — rudem eſſe in literis humanioribus — id Marii laudi a Noſtro ductum eſſe vides. Bellica enim virtus illo tempore, et in ea gente quae pugnando imperium orbis terrarum nacta erat, plurimi aeſtimabatur. Quid? quod ipſe Marius hanc Graecarum litterarum ignorantiam fater non erubeſcit infra Cap. LXXV. Cfr. Livius X. 22. „Et evenit in Mario, inquit, *quod in plerisque viris*, militiae atis, *qui factis ſunt magni*, ad erborum linguaeque certamina rudes. Cfr. Cic. pro Archia Cap. IX. ubi videbis, eum, quamvis durior fuerit ad ſtudia illa, ingeniis faviſſe.

urbanis munditiis. Quas Marius enumerat Cap. LXXXV. Omnia enim luxuriae mollitiaeque fomenta hic intelligi e ſequentibus colligere licet.

integrum ingenium — animum incorruptum, mores caſtos, nullis vitiis effeminatos. Ipſa autem facundia Graeca et ſtudium litterarum omnino (quatenus aſſiduitate, quam requirebat, corporis incrementum impediebatur, maxime vero, quod ſubtilitate quadam ſimplicitas morum tolli poterat) cum ſevera illa disciplina, quae viros militiae natos decebat, parum congruere videbatur. Sed h. l. ad urbanas munditias potiſſimum reſpicitur.

plerisque faciem ejus ignorantibus — quamvis plerique, propter longam ejus abſentiam generisque novitatem, faciem ejus ignorarent.

per omnis tribus — quorum quinque et triginta tunc erant.

ego magiſtratu alium poſt alium ſibi peperit: ſemperque in poteſtatibus eo modo agitabat, uti ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam poſtea ambitione praeceps datus eſt) petere non audebat. Etiam tum alios magiſtratus plebes, conſulatum nobilitas inter ſe per manus tradebat. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quaſi pollutus haberetur.

CAPVT LXIV.

[Marius, haruſpicis cujusdam reſponſo confirmatus, conſulatus adipiſcendi ſpem fovet, miſſionemque, ſeu immunitatem a militia ſibi expetit. Qui quum ſuperbum a Metello reſponſum tuliſſet, ira atque cupidine incenſus, militum atque mercatorum favorem ſibi conciliavit, Me-

agitabat — ſe gerebat.

Tamen is ad id locorum talis vir — Tamen, quamvis ad illud usque tempus, quo legatus erat Metelli, talem, h. e. tam bonum integrumque prorſus virum ſe praeſtiterat. — Sunt, qui *locum* putent *dignitatem ipſam*, nempe legati munus, quo fungebatur, ſignificare. Neque dubium eſt, hanc interdum apud optimos ſcriptores illius vocabuli eſſe notionem. „Sed Gronovius ad Liv. XXVII, 7. pluribus probavit: *ad id locorum* eſſe: *ad id tempus*," et *locum* ſaepe pro *tempore* poni. „Optime amen ſcriptorem interpretamur ipſius verbis. Noſter e. g. Cap. IXXII. dixit: Neque *poſt id locorum* Iugurthae dies, aut nox ulla quieta fuit" — ubi ſine dubio *tempus* intelligit.

ambitione — nam *inexplebilem honorum famem* Florus ei tribuit III. 21.

inter ſe per manus — ita nempe, ut *de* nobilium *manu* emper *in manus* nobilium traderetur, nec plebeji, aut homines novi eum adipiſcerentur.

telli vero ambitionem atque cunctationem ſuſpectam reddere ſtuduit.]

Igitur ubi Marius haruſpicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur; ab Metelio petundi gratia miſſionem rogat: cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat contemtor animus et ſuperbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus inſolita re, mirari ejus conſilium, et quaſi per amicitiam monere, *ne tam prava inciperet, neu ſuper fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupiunda eſſe: debere illi res ſuas ſatis placere: poſtremo caveret id petere a populo Romano, quod illi jure negaretur.* Poſtquam haec atque talia dixit, neque animus Marii flectitur; reſpondit, *ubi primum potuiſſet per negotia publica, facturum ſeſe, quae peteret.* Ac poſtea ſaepius eadem poſtulanti, fertur dixiſſe, *ne feſtinaret abire: ſatis mature illum cum filio ſuo conſulatum petiturum.* Is eo tem-

CAP. LXIV. *petundi gratia* — conſulatus intell.

optanda bonis — quae bonus quisque ſibi optat, ſeu optare debet.

ſuperabant — abunde erant.

animus contemtor — alios prae ſe contemnens. Similis vocum combinatio ſaepiſſime invenitur, e. g. animus *victor*, *rector*, *rex*, *dominus* etc.

ſuper fortunam h. e. ſuper eam, qua natus eſſet, conditionem. Generis enim vetuſtate non gaudebat.

pore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter XX. quae res Marium cum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, peſſumis conſultoribus, graſſari: neque facto ullo, neque dicto abſtinere, quod modo ambitioſum foret: milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Vticae erat, criminoſe ſimul, et magnifice de bello loqui: *dimidia pars exercitus ſibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis*

contubernio patris militabat — ſub auſpiciis patris, rei militaris cognoſcendae gratia, expeditioni Africanae intererat, ſicut Hannibal olim ab Hamilcare in Hiſpaniam ductus fuerat. Non enim milites tantum octo, vel undecim conjuncti, qui familiariter ſub uno papilione degebant, ſed adoleſcentes quoque nobiles, imperatorem comitantes, et ſub auſpiciis ejus rudimenta facientes, *contubernales*, adpellantur.

annos circiter natus XX. Itaque, quum legitimum tempus, quo conſulatum petere licebat, eſſet annus aetatis quadrageſimus tertius, XXIII annos Milonem exſpectare debere innuebat.

pro honore — accenderat. Vehementiorem petendi conſulatus cupiditatem ei injecerat. Nam verbum accendere cum praepoſitionibus *ad, in, contra, pro* conjungi poteſt. Sic Tacitus IV. Hiſt. 78. „Gallos *pro* libertate, Batavos *pro* gloria, Germanos *ad* praedam inſtigantes.

quod modo ambitioſum eſſet — h. e. dummodo ambitioni ſuae ſatisfaceret, populique favorem ſibi adquireret.

laxiore imperio habere minus ſevere iis imperare; majorem libertatem iis concedere.

criminoſe ſimul et magnifice, ita, ut Metellum cunctantem criminaretur, et magnifice ſimul gloriaretur, ſe maturius bellum conficere poſſe.

habiturum: ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis gauderet. Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

CAPVT LXV.

[Vtitur etiam Marius *Gaudae cujusdam*, hominis parum sani, qui Metello ob repulsam ab eo latam infensus erat, auxilio. Hunc enim blanditiis vanisque promissis sibi devincit, et Romanos praeterea spe pacis, hortando, gloriando, criminandoque impellit, ut in litteris, ad suos scriptis, Metellum accusent, Marium imperatorem flagitent. Neque haec frustra conatur.]

Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus, et ob eam causam mente paullum imminuta. Cui Metellus petenti, more regum uti sellam juxta

regiae superbiae. Aptissima verba ad augendam civium Romanorum indignationem! Nam inde a Tarquinii temporibus invisum erat regium nomen adeo, ut quaevis intolerabilia et immodica significaret. Conf. Liv. III. 19.

firmiora — credibiliora.

res familiaris corruperant — aliquantum rei familiaris inter belli tumultus amiserant.

CAP. LXV. *secundum heredem scripserat* — qui hereditatem adiret, si primus heres vel mortuus esset, vel nollet illam adire.

uti sellam juxta poneret, ut permitteret sibi, juxta impe-

poneret; item poſtea cuſtodiae cauſa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges adpellaviſſet; praeſidium, quod contumelioſum in eos foret, ſi equites Romani ſatellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris cum ſuo auxilio poenas petat. Hominem ob morbos animo parum valido ſecunda oratione extollit: *illum regem, ingentem virum, Maſiniſſae nepotem eſſe: ſi Iugurtha captus, aut occiſus, imperium Numidiae ſine mora habiturum: id adeo mature poſſe evenire, ſi ipſe cɔnſul ad id bellum miſſus foret.* Itaque et illum, et equites Romanos, milites et negotiatores alios ipſe, plerosque ſpes pacis impellit, uti Romam ad ſuos neceſſarios aſpere in Metellum de bello ſcribant, Marium imperatoratoris ſellam regum more ſedere. Iſta autem ſella *caſtrenſis* vocabatur, ad quam proxime ſedebant *reges*, ſi qui vel ſupplices veniſſent, vel ſocietate cum Romanis eſſent conjuncti (cfr. Sueton. Ner. Cap. XIII.); ſecundum a regibus locum tenebant legati, et honoratiſſimus quisque. Vid. Tac. II. 59.

cuſtodiae cauſa, forſan, ne Iugurthae inſidiis, ut olim Romae Maſſiva, periret.

reges adpellare eſt noſtrum: den Königstitel zugeſtehen.

anxium — hoc Metelli reſponſo perturbatum, et, quid faceret, incertum.

ſecunda oratione. Oratio nihil aliud h. l. eſt quam colloquium.

alios ipſe, ſuis nempe verbis, *plerosque ſpes pacis*, quam *ipſi ſponte* conceperant.

rem poſcant. Sic illi a multis mortalibus honeſtiſſima ſuffragatione conſulatus petebatur. Simul ea tempeſtate plebes, nobilitate fuſa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

CAPVT LXVI.

[Iugurtha, bello ſtrenue reparato, *Vagenſes* precibus fatigatos in ſuam partem trahit. Igitur, conjuratione principum facta, tertio poſt eam die, qui feſtus erat per Africam, praefectus oppidi cum centurionibus tribunisque ad epulas, diverſis locis celebrandas, invitatur. Occiduntur inter epulas plerique, praeter Silanum; milites quoque paſſim ſine armis palantes obtruncantur.]

Interim Iugurtha poſtquam, omiſſa deditione, bellum incipit, cum magna cura parare omnia, feſtinare, cogere exercitum: civitates, quae ab ſe defecerant, formidine, aut oſtentando praemia adfectare: communire ſuos locos,

honeſtiſſuma ſuffragatione — ſtudioſa commendatione, quae honorem illius (quum non ipſe, ſed optimus quisque pro eo ambiret,) valde augebat. Hoc monendum duximus, ne juvenes *ſuffragationem* cum ſuffragii notione confundant.

per legem Mamiliam, quam ſupra Cap. XL. expoſuit, quamque fuſius tractavit Cic. in Bruto.

novos — homines, quorum majores non inclaruerant magiſtratibus adminiſtrandis.

Cap. LXVI. *omiſſa deditione*, mutato conſilio non amplius dedere ſe cupiens.

bellum incipit. *Incipere* h. l. idem quod *renovare* propter Ablativos abſolutos, qui antecedunt.

adfectare: in ſuas partes tra-

arma, tela, alia, quae ſpe pacis amiſerat, reſicere, aut commercari: ſervitia Romanorum adlicere, et eos ipſos, qui in praeſidiis erant, pecunia tentare: prorſus nihil intactum, neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vagenſes, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, praeſidium impoſuerat, fatigati regis ſuppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter ſe conjurant: nam volgus, uti plerumque ſolet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, ſeditioſum atque discordioſum erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorſum: dein, compoſitis inter ſe rebus, diem tertium conſtituunt; quod is feſtus celebratusque per omnem Africam ludum et laſciviam magis, quam formidinem oſtentabat. Sed ubi tempus fuit, centu-

here, ſuas facere ſtudere. Hanc eſſe verbi notionem rectiſſime cognoſcitur e loco Vell. Paterc. quem Cortius citavit: „Gallias ſaepe et *adfectavimus*, et amiſimus.“ II. 39.

quae ſpe pacis amiſerat, i. q. *tradiderat* hoſtibus, ſperans fore, ut, his acceptis, pacem ſibi concederent. Habet igitur τὸ *amittere* activam h. l. ſignificationem.

intactum — inexpertum.

quo — in quorum oppidum. Cfr. Cap. XLVII, ubi res narratur.

Iugurtha pacificante. — Cfr. Cap. XLVI.

Suppliciis. Videmus, non formidine tantum, et „oſtentando praemia,“ ſed *precibus* quoque uſum eſſe Iugurtham, quod patet e Cap. LVI, ubi „magna voce hortabatur *Siccenſes*.“

discordioſum — Vox rarior, apud Sidonium tamen IX. ep. 3. obvia, facta ad ſimilitudinem adjectivorum: *vinoſus*, *ventoſus*. Nam a Nominibus recte talia fingi docet Gellius III. 12. et exceſſum quendam iis denotari. A Verbis autem

riones tribunosque militares, et ipsum praefectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant: eos omnis, praeter Turpilium, inter epulas obtruncant: postea milites palantis, inermos, quippe in tali die ac sine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati: quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novae satis placebant.

CAPVT LXVII.

[Continuata caedis, quam frustra milites effugere studebant, descriptio. Turpilius unice servatus vitam ignominiosam morti praefert.]

Romani milites, improviso metu, incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant: praetorianis de omni praesidio necando. Posset vero etiam *acta et consilium* per pleonasmum conjurationem principum significare. Vix enim credibile est, caedem istam non esse divulgatam, praesertim die festo.

derivata hujuscemodi vocabula reprehendit, e. g. biboſus.

praefectum oppidi — militibus praepositum — den Commandanten.

Turpilium Silanum. „Hic, praefectus antea fabrum, capitis damnatus, a Metello occisus est, adnitente Mario, qui noverat, hospitem esse Metelli.“

inermos, quippe in tali die. Nam die festo milites arma deposuisse docet Herodianus II. 13.

acta consiliumque — factam inter epulas caedem, et consilium de omni praesidio necando. Posset vero etiam *acta et consilium* per pleonasmum conjurationem principum significare. Vix enim credibile est, caedem istam non esse divulgatam, praesertim die festo.

Cap. LXVII. *trepidare ad arcem.* Duplex intelligi potest sensus. Nam *trepidare* est *anxium esse*. Involvit vero etiam festinationis notionem, ut *trepidare ad arcem* possit esse: *trepide ad arcem fugere, seu festinare.*

ſidium hoſtium, portae ante clauſae fugam prohibebant: ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum ſaxa, et alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortiſſumis infirmiſſumo generi reſiſti poſſe: juxta boni malique, ſtrenui et imbelles inulti obtruncati. In ea tanta aſperitate, ſaeviſſumis Numidis et oppido undique clauſo, Turpilius unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id miſericordiane hoſpitis, an pactione, an caſu ita evenerit, parum comperimus; niſi, quia illi in tanto malo turpis vita fama integra potior, improbus inteſtabilisque videtur.

pro tectis. Ne quis tironum putet: *pro* tectis eſſe noſtrum: zum Schutze, zur Vertheidigung ihrer Häuſer, quod credere poſſent vertentes: *für* ihre Wohnungen, *locum* hic denotari monemus, quo poſiti domos defendebant, quippe in ſuperiori aedium parte, paulum prominente, quaſi *ante* tecta, ſtantes. Sic etiam *pro cornibus*, *pro ſuggeſtu*, *pro tribunali* dicitur. Ceterum ſimilia fortitudinis muliebris exempla narrant *Thucyd.* II. 4. et *Curtius* IV. 4.

anceps malum, quod a viris, tam principibus quam plebejis, et a mulieribus puerisque imminebat.

boni, idem fere h. l. quod ſequens *ſtrenui* ſignificat. Habet enim, ſicut Graecum ἀγαθὸς *fortitudinis* notionem.

ſaeviſſumis Numidis, quum Numidae ſummam ſaevitiam crudelitatemque exercent.

niſi h. l. eandem, quam ſupra Cap. XXIV, vim habet. Reliqua enim ſe neſcire profitetur, nec quidquam certi de fugae modo proferre poſſe, *niſi* hoc unum, quod, quum in tanta ſuorum calamitate turpem vitam praetulerit famae integrae, improbus inteſtabilisque videatur. *Inteſtabilis* autem dicitur, qui adeo fide indignus eſt, ut nec in teſtimonium advocari, nec teſtamentum facere poſſit.

CAPVT LXVIII.

[Metellus ad vindictam tantae contumeliae celeriter accurrit.]

Metellus, poſtquam de rebus Vagae actis comperit, paullisper moeſtus e conſpectu abit: deinde, ubi ira et aegritudo permixta, cum maxuma cura ultum ire injurias feſtinat. Legionem, cum qua hiemabat, et, quam plurimos poteſt, Numidas equites pariter cum occaſu ſolis expeditos educit: et poſtera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paullo ſuperioribus circumventam. Ibi milites feſſos itineris magnitudine, et jam abnuentis omnia docet, *oppidum Vagam non amplius mille paſſuum abeſſe: decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus ſuis, viris fortiſſumis atque miſerrumis, poenas caperent.* Praeterea praedam benigne oſtentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artiſſume ire, ſigna occultare jubet.

CAP. LXVIII. *e conſpectu* — militum nempe ſuorum.

circiter horam tertiam h. e. ſecundum noſtram computandi rationem, *hora nona*. *Sexta* enim hora, tam veſpertina, quam matutina, Romanis *prima* erat.

circumventam — circumdatam.

abnuentis omnia — laborem quemcunque detrectantes.

oſtentat — promittit, offert.

in primo ſc. ordine; ut alibi: in *extremo*.

late intell. *extenſos*. Oppo-

CAPVT LXIX.

[Equites Numidae, quos Metellus in primo agminis ordine collocaverat, Vagenſes, Iugurtham adveniſſe opinantes, vana laetitia complent. Portas igitur jam clauſas iterum aperiunt, egreſſique caeduntur, oppidum expugnatur, et agmini diripiendum traditur. Turpilius condemnatus poenas ſolvit.]

Vagenſes ubi animum advortere, ad ſe vorſum exercitum pergere: primo, uti erat res, Metellum rati, portas clauſere: deinde, ubi neque agros vaſtari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident; rurſum Iugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente ſigno dato, alii volgum effuſum oppido caedere; alii ad portas feſtinare; pars turris capere: ira atque praedae ſpes amplius, quam laſſitudo poſſe. Ita Vagenſes biduum modo ex perfidia laetati: civitas magna et opulens poenae cuncta, aut praedae fuit. Tur-

nitur enim τῷ *artiſſume*. Quod quum non animadvertiſſent librarii, deſideraſſentque nomen Subſtant., plerique ſcripſerunt *latere*. Haec autem vox nec auribus placeret, quia duo ſequuntur ejusdem terminationis verba, nec ad ſententiam auctoris apta foret.

CAP. LXIX. *rurſum Iugurtham arbitrati* h. e. non amplius Metellum, ſed Iugurtham veniſſe putantes.

amplius, quam laſſitudo poſſe — plus valebat, quam laſſitudo; h. e. quod in ea, qua laborabant, laſſitudine facere nequiviſſent, id ira praedaeque ſpe incitati perficere valebant.

poenae cuncta. Rectius ordo verborum, plerisque Mss. conſentientibus, invertitur: *cun-*

pilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugiſſe, ſupra oſtendimus, juſſus a Metello cauſam dicere, poſtquam ſeſe parum expurgat, condemnatus, verberatusque capite poenas ſoluit. Nam is civis ex Latio erat.

CAPVT LXX.

[*Bomilcar* interim, Iugurthae, quem ad deditionem compellere ſtuduerat, ſuſpectus, cum Nabdalſa, homine opulento nobilique, ſocietatem inibat, regi inſidiaturus. Facta conjuratione Nabdalſa, metu tanti facinoris perculſus, rem aggredi dubitat. Bomilcar autem labantem ejus animum literis per nuntios fideles miſſis confirmare ſtudet.]

Per idem tempus Bomilcar, cujus impulſu Iugurtha deditionem, quam metu deſeruit, inceperat, ſuſpectus regi, et ipſe eum ſuſpiciens, novas res cupere: ad perniciem ejus dolum quaerere; diu noctuque fatigare animum. Denique omnia tentando, ſocium ſibi adjungit Nabdalſam, hominem nobilem, magnis opibus, carum acceptumque popularibus ſuis: qui plerum-

cta poenae, aut praedae. Nam adject. *cuncta* ad *poenam ſimul et praedam* reſpicit, quum *non omnes,* ſed nonnulli tantum cives (illi nempe, qui porta egreſſi fuerant) poenae, h. e. ſupplicio, *omnes* autem *poenae aut praedae* traditi ſint. Qui enim mortem effugerant, eorum bona diripiebantur.

nam is civis ex Latio erat. Romanos igitur cives non morte, ſed exſilio mulctari potuiſſe, hic locus perſpicue docet, quamvis Val. Max. praefectum quendam virgis caeſum eſſe ref. L. II. Cap. 7. Enarrentur h. l. tironibus leges Porcia atque Sempronia.

que seorsum ab rege exercitum ductare, et omnes res exsequi solitus erat, quae Iugurthae sesso, aut majoribus adstricto superaverant: ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera, uti res poscerет, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum jussus habebat, ne ager, inultis hostibus, vastaretur. Is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non venit, metusque rem impediebat; Bomilcar simul cupidus incepta patrandi, et timore socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum quaereret, litteras ad eum per homines fidelis mittit, *mollitiem secordiamque viri accusare, testari deos, per quos juravisset; praemia Metelli in pestem ne converteret; Iugurthae exitium adesse, ceterum suane, an virtute Metelli periret, id modo*

Cap. LXX. *exercitum ductare.* Hanc lect. recte tuetur Cortius doctiss. contra subtilitatem eorum, qui ἀισχρολογίαν in verbo *ductare* inesse putabant. Tacitus enim II. Hist. Cap. C. eadem formula usus est. Illis autem *ductare* idem, quod *sine ordine ducere*, videbatur.

cetera, u. r. p., ex tempore parari placuit — de ceteris nihil certi constitutum est, sed ea in posterum, prout res poscerет, statuenda esse arbitrati sunt.

inultis hostibus. Passive *inultis* dixit pro *impunitis.*

magnitudine facinoris perculsus h. e. tam atrox et nefandum facinus, quod et difficile et periculosum foret, pertimescens.

ad tempus sc. constitutum.

praemia Metelli, pro rege capto traditoque speranda.

agitari: proinde reputaret cum animo ſuo, praemia, an cruciatum mallet.

CAPVT LXXI.

[Literae, ad Nabdalſam miſſae, dormiente illo, quum in pulvino temere poſitae eſſent, a Numida quodam ablatae perleguntur. Nabdalſa, experrectus, regem, ad quem ille abierat, placare ſtudet.]

Sed cum hae litterae adlatae, forte Nabdalſa, exercito corpore feſſus, in lecto quieſcebat. Vbi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti aegrum animum ſolet, ſomnus cepit. Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque, et omnium conſiliorum, niſi noviſſumi, particeps. Qui poſtquam adlatas litteras audivit, ex conſuetudine ratus opera aut ingenio ſuo opus eſſe, in tabernaculum introivit: dormiente illo epiſtolam, ſuper caput in pulvino temere poſitam, ſumit ac perlegit. Dein propere, cognitis inſidiis, ad regem pergit. Nabdalſa, poſt paullo experrectus, ubi neque epiſtolam reperit, et rem omnem, uti acta, cognovit; primo indicem perſequi conatus; poſtquam

Cap. LXXI. *cum adlatae* ſc. eſſent. Durior ellipſis.

aegrum — curis anxium, dubitantemque.

negotiorum curator — quales principibus adeſſe ſolebant. Cfr. Ammian. XXI. 26. Ejus generis homines literas ad principes ſcriptas legere, argumenta earum enarrare, et intima cum illis conſilia communicare debebant.

id fruſtra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit, *quae ipſe paraviſſet, perfidia clientis ſui praeventa:* lacrumans obteſtatur *per amicitiam, perque ſua antea fideliter acta, ne ſuper tali ſcelere ſuſpectum ſeſe haberet.*

CAPVT LXXII.

[Iugurtha, animi quiete ſimulata, Nabdalſam ſecurum reddit; Bomilcarem vero cum ſociis multis interfici jubet. Poſtea terribili formidine, veſani hominis inſtar, exagitatur.]

Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide reſpondit. Bomilcare aliisque multis, quos ſocios inſidiarum cognoverat, interfectis, iram oppreſſerat: ne qua ex eo negotio ſeditio oriretur. Neque poſt id locorum Iugurthae dies, aut nox ulla quieta fuere: neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori ſatis credere: civis, hoſtis juxta metuere: circumſpectare omnia, et

Cap. LXXII. *aliter, atque animo gerebat* — veros animi ſenſus diſſimulans, quietem adfectans. Interdum enim *gerere* pro *habere* dici obſervat doct. Cortius.

poſt id locorum — poſt id temporis. Quum enim locorum aeque ac temporum intervalla cogitari poſſint, et certum quoddam tempus ſit quaſi definitus in omni temporum patio locus, vocabula iſta ſaepius inter ſe permutantur. Cfr. ſupra Cap. LXIII. et infra Cap. CII. init.

Sequitur nunc egregia perturbati, et curis vehementiſſimis exagitati animi effigies, quam juvenes diligenter contemplentur. Eadem fere animi anxietate Cromvellium, Angliae tyrannum, perturbatum eſſe narrant.

civis, hoſtis juxta etc. cives

omni ſtrepitu paveſcere; alio atque alio loco, ſaepe contra decus regium noctu requieſcere: interdum ſomno excitus, arreptis armis tumultum facere. Ita formidine, quaſi vecordia, exagitari.

CAPVT LXXIII.

[Metellus, comperto Bomilcaris caſu, ad bellum cuncta iterum parat; Marium Romam dimittit, qui, plebi in dies gratior, rogante Manilio Mancino, trib. plebis, invito Senatu, in Metelli locum ſuccedit, bellumque gerendum ſuscipit.]

Igitur Metellus, ubi de caſu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rurſus, tamquam ad integrum bellum, cuncta parat feſtinatque. Marium, fatigantem de profectione, ſimul et invitum, et offenſum ſibi, parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romae plebes, litteris, quae de Metello ac Mario miſſae erant, cognitis, volenti animo de ambobus ac-

non minus quam hoſtes pertimeſcebat.

alio atque alio — modo hoc, modo illo.

CAP. LXXIII. *tamquam ad integrum bellum* — non aliter ac ſi nunc denuo bellum reſtaurandum eſſet.

fatigantem de profectione, iterum iterumque petentem, ut ſibi Romam proficiſci liceret.

invitum, qui invitus remanebat, propterea, quod Conſulatum petiturus erat.

litteris cognitis, non lectis quidem litteris, ſed cognito litterarum argumento.

volenti animo Mihi quidem praeſtant. Cortius in hisce vocibus interpretandis nimium argutiarum proferre videtur. Tertium enim, non ſextum caſum, intelligit, et ellipſin

ceperant. Imperatori nobilitas, quae antea decori, invidiae esse: at illi alteri generis humilitas favorem addiderat. Ceterum in utroque magis studia partium, quam bona, aut mala sua moderata. Praeterea seditiosi magistratus volgum exagitare, Metellum omnibus concionibus capitis arcessere, Marii virtutem in majus celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus, frequentarent Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita, perculsa nobilitate, post

suspicatur, ut: *volenti animo* sit: „quae erant animo illorum volenti h. e. grata. Quid autem vetat, has voces per *lubenter*, *lubenti animo* interpretari? Quippe lubenter *amborum* nomina resque gestas audiverat plebes, propterea quod Mario — homini obscuris parentibus nato — favebat.

in utroque, nempe in vituperando Metello, laudandoque Mario.

bona mala — virtutes et vitia.

moderata sc. sunt h. e. viguerunt, vim habuerunt atque momentum. Sic Livius: „neque suum cuique jus *modum* faciebat" etc. III. 11.

seditiosi magistratus — tribuni plebis, patriciorum dignitati gloriaeque invidentes. Cfr. Cat. Cap. I. Cic. II. Epist. 12. Flor. III. 23.

capitis — sc. crimine, aut judicio. Vid. supra XXXII. init.

in majus celebrare — exaggerare.

res fidesque — Nostrum: Vermögen und Credit.

in manibus sitae erant, manuum opera, et labore sustentabantur.

post illius honorem ducerent — illius honori postponerent. Non tam suarum rerum, quae ad vitam sustentandam erant necessariae, quam consulatus ad Marium deferendi curam gerebant.

multas tempeſtates novo homini conſulatus mandatur. Et poſtea populus a Tribuno plebis Manilio Mancino rogatus, QVEM VELLET CVM IVGVRTHA BELLVM GERERE? frequens Marium juſſit. Senatus paullo ante Metello decreverat: ea res fruſtra fuit.

CAPVT LXXIV.

[Iugurtha interim, anxius ac fere deſperans, cum Metello, repente obviam facto, pugnare coactus, pulſis fugatisque militibus, nonnihil ſignorum armorumque amittit.]

Eodem tempore Iugurtha, amiſſis amicis, quorum plerosque ipſe necaverat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant; cum neque bellum geri ſine adminiſtris poſſet, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculoſum duceret, varius incertusque agitabat: Neque illi res, neque conſilium aut quisquam hominum ſatis placebat: itinera praefectosque in dies mutare: modo ad-

poſt multas tempeſtates. Non urbae civiles ſunt intelligendae, ſed *tempora*. Hanc enim notionem apud hiſtoricos melioris notae illi vocabulo ſubeſſe recte obſervat doct. Cort. Idem ergo eſt, quod: poſt longam annorum ſeriem. Similis honor contigit longo poſt Mario intervallo Ciceroni. Vid. Cat. XXIII. 6.

CAP. LXXIV. *ad regem Bocchum* — Mauritaniae regem cfr. Cap. XIX.

Neque illi res, neque conſilium — h. e. neque id quod factum erat, neque quod fieri placuerat.

vorſum hoſtes, interdum in ſolitudines pergere: ſaepe in fuga, ac poſt paullo ſpem in armis habere: dubitare, virtuti popularium, an fide minus crederet. Ita, quocumque intenderat, res advorſae erant. Sed inter eas moras repente ſeſe Metellus cum exercitu oſtendit. Numidae ab Iugurtha pro tempore parati inſtructique: dein praelium incipitur. Qua in parte rex adfuit, ibi aliquamdiu certatum: ceteri omnes (ejus milites) primo concurſu pulſi fugatique. Romani ſignorum et armorum aliquanto numero, hoſtium paucorum potiti. Nam ferme Numidas in omnibus praeliis pedes magis, quam arma tuta ſunt.

CAPVT LXXV.

[*Summa Capitum LXXV et LXXVI.* Rex, iterum victus, eoque magis rebus ſuis diffidens, urbem *Thalam*, longo deſertorum locorum intervallo ab illis regionibus, ubi pugnatum erat, diſtantem, fuga petit. Metellus ſequitur fugientem, impedimentisque itineris feliciter victis, oppidum illud, quod Iugurtha, adventu Cos. cognito, reliquerat, obſidione cingit, atque expugnat. Incolae autem ſe ipſi in flammas projiciunt.]

fide pro *fidei*, ut alibi: *die*, *acie* pro: diei, aciei. Conf. Cap. XVI.

quocunque intenderat — quocunque ſe converteret, ſeu, quodcunque conſilii caperet.

pro tempore, quantum licuit per temporis anguſtiam.

pedes magis quam arma tuta ſunt Numidas h. e. Numidae pedum celeritate magis, quam armorum uſu incolumes ſe praeſtiterunt.

Ea fuga Iugurtha impenſius modo rebus ſuis diffidens cum perfugis et parte equitatus in ſolitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum et opulentum, ubi plerique theſauri, filiorumque ejus multus pueritiae cultus erat. Quae poſtquam Metello comperta, quamquam inter Thalam flumenque proximum, ſpatio millium quinquaginta, loca arida atque vaſta eſſe cognoverat; tamen ſpe patrandi belli, (ſi ejus oppidi potitus foret) omnis aſperitates ſuperva-dere, ac naturam etiam vincere adgreditur. Igitur omnia jumenta ſarcinis levari jubet, niſi frumento dierum decem: ceterum utres modo, et alia aquae idonea portari. Praeterea conquirit ex agris, quam plurimum poteſt, domiti pecoris; eoque imponit vaſa cujusque modi, pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui ſe poſt regis fugam Metello dederant, quam plurimum quisque aquae

Cap. LXXV. *Impenſius modo* non eſt noſtrum: *nur deſto heftiger*, ſed: nimis impenſe, h. e. *nimis vehementer*.

multus p. cultus, ein glänzender Hofſtaat. *Pueritiae cultus* filiorum, atque liberorum omnino, ſplendidam educationem ſignificat.

patrandi — conficiendi.

naturam etiam — naturam ipſam, h. e. arida et aſpera loca.

vincere ſc. conſilio, dum aquam, a natura ſibi denegatam, adferri curabat.

niſi frumento dierum decem, excepto frumento, quod ad iter decem dierum requirebatur.

utres — vaſa e corio facta.

eoque tamquam Adverbio utitur pro uſitatiori *eique*. Cfr. Cap. LXVI.

portarent, diem locumque, *ubi praeſto fuerint praedicit.* Ipſe ex flumine, quam proxumam oppido aquam ſupra diximus, jumenta onerat: eo modo inſtructus ad Thalam proficiſcitur. Deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis praeceperat, et caſtra poſita munitaque ſunt; tanta repente coelo miſſa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitui ſatis ſuperque foret. Praeterea commeatus ſpe amplior: quia Numidae, ſicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites religione pluvia magis uſi: eaque res multum animis eorum addidit. Nam rati ſeſe dis immortalibus curae eſſe. Deinde poſtero die, contra opinionem Iugurthae, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui ſe locorum aſperitate munitos crediderant, magna atque inſolita re perculſi, nihilo ſegnius bellum parare: idem noſtri facere.

ubi praeſto fuerint prae etc. pro quo alii: *forent.* „Vtrumque ſuſpectum videtur et a ſciolis infartum.“

quam ad ſequ. *aquam* referas.

proxumam oppido — non ita proximam, ut ex urbe prodeuntes ad flumen ſtatim pervenirent, ſed longo intervallo proxumam, ut inter urbem flumenque remotum nihil medium exſtaret.

officia intenderant — auxerant. Studioſius commeatum adtulerant, quam exſpectari poterat.

religione — grato pioque erga deos, quos pluviam demiſiſſe autumabant, animo.

CAPVT LXXVI.

Sed rex nihil jam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipſam, ceteris imperitantem, induſtria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniae ex oppido noctu profugit: neque poſtea in ullo loco amplius una die, aut una nocte moratus, ſimulabat ſeſe negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare poſſe celeritate putabat. Nam talia conſilia per otium, et ex opportunitate capi. At Metellus ubi oppidanos praelio intentos, ſimul oppidum et operibus, et loco munitum videt, vallo foſſaque moenia circumvenit. Deinde locis ex copia maxume idoneis vineas agere, aggerem jacere, et ſuper aggerem impoſitis turribus opus et adminiſtros tutari. Contra haec oppidani feſtinare, parare: prorſus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore praeliisque fatigati, poſt dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: praeda

Cap. LXXVI. *nihil jam infectum Metello* — nihil non (omnia) Met. perficere poſſe. Sic Latini *invictus* pro *invincibili*, *inacceſſus* pro: inacceſſibili.

talia conſilia ſc. proditionis. Simillimus Caeſaris locus legitur II. Civ. Cap. 30.

nihil reliquum fieri — nihil negligi, quod ad defenſionem expugnationemque pertineret.

omnis ab perfugis corrupta. Ii poſtquam murum arietibus feriri, resque ſuas adflictas vident, aurum atque argentum, et alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi vino et epulis onerati, illaque, et domum, et ſemet igni corrumpunt; et quas victi ab hoſtibus poenas metuerent, eas ipſi volentes pependere.

CAPVT LXXVII.

[Leptitanorum legati ad Metellum venientes, contra Hamilcarem quemdam, civem factioſum, auxilium petunt. Quatuor eo cohortes, quibus C. Annius praeerat, ſine mora mittuntur.]

Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes, *uti praeſidium praefectumque eo mitteret; Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factioſum, novis rebus ſtudere; advorſum quem neque imperia magiſtratuum, neque leges valerent: ni id feſtinaret, in ſummo periculo ſuam ſalutem, illorum ſocios fore.* Nam

prima. Vid. de h. vocis ſignificatu Cat. Cap. XXXVI.

Cap. LXXVII. *Pariter cum capta Thala.* Simulac T. capta erat.

ni id feſtinaret — ni celeriter milites cum praefecto mitteret.

illorum ſocios. Moneantur h. l. juvenes, *adpoſitam* vocem non ſemper antecedentis caſu proferri. Vulgaris enim conſtructio Genitivum requireret: „*ſuam — ſociorum P. R. — ſalutem.*“ Verum plura hujuscemodi anomaliae exempla et apud Noſtrum et alibi reperiuntur. Vnum e Livio citatum adjungimus: II. 3. „Erant adoleſcentes, *quorum* in regno

Leptitani jam inde a principio belli Iugurthini ad Beſtiam conſulem, et poſtea Romam miſerant, amicitiam ſocietatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, ſemper boni fidelesque manſere, et cuncta a Beſtia, Albino Metelloque imperata navi fecerant. Itaque ab imperatore facile, quae petebant, adepti. Emiſſae eo cohortes Ligurum quatuor, et C. Annius praefectus.

CAPVT LXXVIII.

[Inſerta eſt oppidi Leptis, a Sidoniis conditi, brevis hiſtoria.]

Id oppidum ab Sidoniis conditum, quos accepimus profugos ob discordias civilis, navibus in eos locos veniſſe: ceterum ſitum inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo ſunt ſinus prope in extrema Africa, impares ma-

libido ſolutior fuerat, *aequales ſodalesque* adoleſcentium Tarquiniorum.“

Nam Leptitani etc. Bene cum anteced. haec conjuncta videbis, ſiquidem ad voces *illorum ſocios* reſpicies, quae nihil aliud ſignificant, quam: „*cum ſint illorum ſocii, dignique praealiis, qui defendantur.*

boni fidelesque. Sic etiam ſupra de Maſiniſſae erga P. R. animo: „amicitia Maſiniſſae *bona atque honeſta nobis permanſit.* V. Cap. 5.

navi i. q. gnavi — *ſtrenui, diligentes.* Alii *nave* legunt, quod adverbium occurrit apud Plautum, ſicut *ignave* apud Ciceronem II. Tusc. Quaeſt. 23. Noſter autem Adjectiva pro Adverbiis ponere amat.

Cap. LXXVIII. *ab Sidoniis conditum.* Plinius *Tyrios* vocat conditores, facili populorum ejusdem originis permutatione.

quibus nomen ex re inditum, nempe a *trahendo*, ἀπὸ τοῦ σύρειν.

gnitudine, pari natura: quorum proxuma terrae praealta ſunt; cetera, uti ſors tulit, alta; alia in tempeſtate vadoſa. Nam ubi mare magnum eſſe, et ſaevire ventis coepit, limum arenamque et ſaxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis ſimul mutatur. Ejus civitatis lingua modo converſa connubio Numidarum: leges, cultusque pleraque Sidonica. Quae eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis aetatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vaſtique loci erant.

CAPVT LXXIX.

[Regionum, de quibus paulo ante locutus erat, ſitu admonitus Salluſtius noſter memorabile facinus duorum Carthaginienſium hiſtoriae intexit, qui voluntariam pro patria mortem, eamque acerbiſſimam, intrepidi oppetiverunt]

Sed quoniam in has regiones per Lepitano-

quorum proxuma terrae — quorum ea pars, quae ad terram continentem proxime jacet.

alia in tempeſtate, alio rurſus tempore.

modo pro *tantummodo*, ut ſupra Cap. LXXVI.

leges, cultusque pleraque. Duplex horum vocabulorum conjunctio cogitari poteſt. Nam vel τὸ pleraque ad utramque vocem antecedentem referre, vel *cultus* pro *ſecundo caſu* accipere licet, ut *cultus pleraque* idem ſit quod: *plerique cultus. Suis* autem legibus vixiſſe Leptitanos vel ex eo liquet, quod, bello incipiente, „Romam miſerunt, amicitiam ſocietatemque rogatum.“

procul a. i. r. a. agebant, procul aberant a rege.

frequentem, oppidis nempe et cultoribus.

Cap. LXXIX. *Sed quoniam* etc. Conferantur cum elegan-

rum negotia venimus; non indignum videtur egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginienſium memorare. Eam rem locus admonuit. Qua tempeſtate Carthaginienſes pleraeque Africae imperitabant, Cyrenenſes quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenoſus, una ſpecie: neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quae res eos in magno diuturno bello inter ſe habuit. Poſtquam utrimque legiones, item claſſes fuſae fugataeque, et alteri alteros aliquantum adtriverant, veriti, ne mox victos victoresque defeſſos alius adgrederetur, per inducias ſponſionem faciunt, *uti certo die legati domo proficiſcerentur; quo in loco inter ſe obvii fuiſſent, is communis utriusque populi finis haberetur.* Igitur Carthagine duo fratres miſſi, quibus nomen Philaenis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenſes tardius iere. Id ſecordiane, an caſu accide-

tiſſima hac digreſſionem ordiendi formula ſimiles loci Cat. Cap. V. Iug. C. XVII. Corn. Nep. Pelop. Cap. III. Caeſar Gall. VI. XI.

pleraeque Africae. Ne quis ſingularem h. Adjectivi ſuſpectum temere putet, in memoriam revocamus, ſupra C. LIV. *plerumque exercitum* ſcriptum eſſe.

Cyrenenſes, quorum oppidum Cyrene deſcriptum vides C. XIX. Cyrenaica ab iisdem nomen duxit.

una ſpecie — neque flumine, neque monte ullo diſtinctus, ut fines utriusque ditionis naturali termino nusquam discerni poſſent.

alius — externus hoſtis.

rit, parum cognovi. Ceterum ſolet in illis locis tempeſtas haud ſecus, atque in mari retinere. Nam ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata, ora oculosque implere ſolet: ita proſpectu impedito, morari iter. Poſtquam Cyrenenſes aliquanto poſteriores ſe vident, et ob rem corruptam domi poenas metuunt; criminari, Carthaginienſes ante tempus domo digreſſos, conturbare rem: denique omnia malle, quam victi abire. Sed cum Poeni aliam conditionem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem Carthaginienſium faciunt, *vel illi, quos finis populo ſuo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione ſeſe, quem in locum vellent, proceſſuros.* Philaeni, conditione probata, ſeque vitamque reipublicae condonavere. Ita vivi obruti. Carthaginienſes in eo loco Philaenis fratribus aras conſecravere;

Ceterum — — retinere. Cfr. Curt. IV. 7. Senec. Herc. Fur. v. 319.

retinere i. e. retardare euntem.

a. e. nuda gignentium — plana et arboribus atque fruticetis carentia.

morari iter ſuppl. ex antec. *ſolet ventus.*

aliquanto poſteriores, paulo tardius progreſſos.

optionem C. faciunt, ex duabus propoſitis conditionibus alteram eligere jubent Carthaginienſes.

quos finis p. ſ. peterent etc. illic, ubi fines ditionis ſuae conſtitui vellent.

eadem conditione ſc. ut vivi obruerentur.

aras conſecravere. „Strabonis aetate, inquit Cortius, illae arae non exſtabant; Plinius ex arena fuiſſe teſtatur.

aliique illis domi honores inſtituti. Nunc ad rem redeo.

CAPVT LXXX.

[Iugurtha, ſuis rebus non amplius confidens, Gaetulorum catervos conquirit, muneribusque et promiſſis regem Bocchum, cujus filiam in matrimonium duxerat, ad ſocietatem belli contra Romanos pellicere ſtudet.]

Iugurtha poſtquam, amiſſa Thala, nihil ſatis firmum contra Metellum putat, per magnas ſolitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit: ac paullatim conſuefacit ordines habere, ſigna ſequi, imperium obſervare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus, et majoribus promiſſis ad ſtudium ſui perducit. Quis adjutoribus regem adgreſſus, impellit, uti advorſum Romanos bellum ſuſcipiat. Id ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio

Cap. LXXX. *proximos* — i. q. alias *conſiliarios*, *amicos*.

ad ſtudium ſui perducit — in ſuas partes trahit.

regem adgreſſus. Adgredi idem fere eſt, quod *tentare*.

ea gratia — propterea. Eandem vocum combinationem vidimus Cap. LIV: „id *ea gratia* eveniebat, *quod* praeter regios equites — nemo regem ſequitur.

facilius proniusque — h. e. *facilius* factu propter Bocchi *pronam* ad bellum ſuſcipiendum voluntatem. Recte igitur negat doctiſſ. Cortius pleonasmum his vocibus ineſſe.

hujusce belli legatos Romam miserat, foedus et amicitiam petitum. Quam rem opportunissimam incepto bello pauci impediverant, caeci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Etiam antea Iugurthae filia Bocchi nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur: quod singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nulla pro socia obtinet: pariter omnes viles sunt.

CAPVT LXXXI.

[Vtriusque regis exercitus loco destinato conveniunt. Ibi Iugurtha Bocchum Romanis infestiorem reddere studet. Ad urbem Cirtam progredi constituunt.]

Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt. Ibi, fide data et accepta, Iugurtha

opportunissimam incepto bello — quamvis in belli initio tale foedus utilissimum Romanis fuisset.

quis — quibus.

quis o. h. atque inh. vendere mos erat. Ecce iterum sententiam ad taedium usque repetitam, cujus frequentissima repetitio mihi quidem persuasit, praecipuum Nostri finem in historia conscribenda hunc fuisse, ut corruptos civitatis mores depingeret, Romamque venalem fuisse demonstraret.

animus multitudine distrahitur. — Multitudo uxorum facit, ut amoris constantia fidelitasque tollatur; ut vaga sit torpeatque charitas.

nulla pro socia obtinet — nulla obtinet sociae locum; seu: nulla uxoris unice dilectae obtinet locum ac dignitatem.

viles sunt — contemnuntur.

Bocchi animum oratione accendit: *Romanos injuſtos, profunda avaritia, communis omnium hoſtis eſſe: eamdem illos cauſſam belli cum Boccho habere, quam ſecum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi; quis omnia regna advorſa ſint: tum ſeſe, paullo ante Carthaginienſes, item regem Perſen, poſt, uti quisque opulentiſſumus videatur, ita Romanis hoſtem fore.* His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter conſtituunt: quod ibi Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat. Ita Iugurtha ratus, aut, capta ur-

Cap. LXXXI. *profunda.* Hoc vocabulo inſatiabilis lubido, quae ob vaſtitatem atque profunditatem expleri nequit, notatur. Eadem fere ſententia ſubeſt verbis ſupra Cap. V. Catil. obviis: „*Vaſtus* animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.“ Sic Apulej. ventrem edacis „*profundum*“ nominat. — Sed *habendi* inprimis *cupido*, quae *modum* excedit, *profunda* vocatur.

eamdem i. cauſam belli cum Boccho habere — h. e. eadem *impelli* eos *poſſe* ad bellum B. inferendum. Nondum enim bellare coeperant adverſus Bocchum. Ceterum vox „*cauſam*“ ad Accuſativum ſequentem, non ad avaritiam, referenda eſt.

quis etc. — quibus, ſc. injuſtis Romanis, omnia regna advorſa ſint, propter aemulationem, ab aliis quoque auctoribus reprehenſam. Vid. Flor. III. 7. quibus adjicio, quae Cortius citavit, Mithridatis verba: „Omnia non ſerva, et maxume *regna* hoſtilia ducunt. Namque pauci libertatem, pars magna juſtos *dominos* volunt: nos ſuſpecti ſumus *aemuli*, et in tempore *vindices* adfuturi.

tum — nunc, eo ſc. quo loquatur, tempore.

uti q. o. videatur ſc. Romanis. Opulenti autem non divites tantum, ſed omnino ii, qui opibus imperioque pollent, vocantur.

His atque a. t. dictis, i. q. poſt haec atque a. talia dicta; niſi forte ſupplere velis: *incenſi.*

be, operae pretium fore; aut, ſi Romanus auxilio ſuis veniſſet, praelio ſeſe certaturos. Nam callidus id modo feſtinabat, Bocchi pacem imminuere; ne moras agitando, aliud, quam bellum, mallet.

CAPVT LXXXII.

[Metellus, cognita regum ſocietate, caſtra prope Cirtam metatur, hoſtes exſpectaturus. Interim Numidiam Mario demandatam eſſe comperit, eoque nuntio graviter commovetur.]

Imperator poſtquam de regum ſocietate cognovit, non temere, neque, uti ſaepe jam victo Iugurtha conſueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit: ceterum haud procul ab Cirta, caſtris munitis, regis opperitur; melius ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hoſtis acceſſerat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per litteras certior fit, provinciam Numidiam Mario datam. Nam conſulem factum, jam an-

operae pretium — earum nempe rerum, quas Metellus ibi locaverat, direptione.

id m. feſtinabat — *id* abundanter additum eſt, ex more Salluſtii.

Cap. LXXXII. *ſaepe jam victo Iugurtha* — ob victoriam, quam ſaepe de I. reportaverat. Fortuna enim audaciorem ac fere temerarium reddiderat Conſulem.

regis — reges.

cognitis Mauris — explorata Maurorum virtute. Nam *cognoſcere* h. l. idem eſt quod tentare, ſeu experiri, quid hoſtes virtute poſſent. Cfr. Caeſ. Gall. II. 8.

tea acceperat. Quis rebus ſupra bonum atque honeſtum perculſus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in ſuperbiam vortebant: alii bonum ingenium contumelia accenſum eſſe: multi, quod jam parta victoria ex manibus eriperetur. Nobis ſatis cognitum, illum magis honore Marii, quam injuria ſua excruciatum, neque tam anxie laturum fuiſſe, ſi ademta provincia alii, quam Mario, traderetur.

CAPVT LXXXIII.

[Itaque, ne diutius vitae periculum fruſtra ſubiret, miſſis ad Bocchum de pace legatis, tempus terit.]

Igitur eo dolore impeditus, et quia ſtultitiae videbatur alienam rem periculo ſuccurrere, legatos ad Bocchum mittit, poſtulatum, *ne ſine cauſſa hoſtis populo Romano fieret: habere eum magnam copiam ſocietatis amicitiaeque conjungendae, quae potior bello eſſet; quam-*

ſupra bonum atque honeſtum — tam vehementer, ut et officium viri fortis, et dignitatem imperatoriam laederet. Nam honeſtum h. l. idem eſt, quod decorum.

accenſum eſſe ſc. *ducebant*, cujus verbi notio latet in antecedenti: *vortebant*.

bonum ingenium c. a. e. virum *ceteroqui bonum* contumelia incenſum eſſe, non igitur in ſuperbiam verti debere ejus vehementem adfectum.

multi ſc. hanc eſſe doloris cauſam arbitrabantur.

CAP. LXXXIII. *quae potior*

quam opibus confideret, non debere incerta pro certis mutare: omne bellum ſumi facile, ceterum aegerrume deſinere: non in ejusdem poteſtate initium ejus et finem eſſe: incipere cuivis, etiam ignavo licere: deponi, cum victores velint. Proinde ſibi regnoque conſuleret; neu florentis res ſuas cum Iugurthae perditis miſceret. Ad ea rex ſatis placide verba facit: *ſeſe pacem cupere, ſed Iugurthae fortunarum miſereri. Si eadem illi copia fieret, omnia conventura.* Rurſus imperator contra poſtulata Bocchi nuncios mittit. Ille probare, partim abnuere. Eo modo ſaepe ab utroque miſſis remiſſisque nunciis tempus procedere, et, ex Metelli voluntate, bellum intactum trahi.

bello eſſet — quae bello eſſet praeferenda.

omne bellum ſumi facile — h. e. *incipi*. Vid. ſupra Cap. XX. cfr. Tacit. Hiſt. IV. Cap. LXIX. ubi eadem fere ſententia.

non in ejusdem pot. initium ejus et finem eſſe, non ab eodem, qui inceperit, bellum finiri poſſe. — Adponere juvat ſimilem Lactantii locum (VI. 6.) „Id *ſuscipere* facile eſt, *implere difficile*, quia, cum te certamini, congreſſionique omniſeris, in arbitrio Dei, non tuo, poſita victoria eſt.

ſi eadem illi copia fieret, ſi Iugurthae ſimilis daretur in gratiam cum Romanis redeundi opportunitas.

omnia conventura, omnem belli cauſam ſublatum iri — in omnibus facile ſe conſenſuros eſſe. Nam „*conveniunt* illa, in quibus utraque pars conſentiunt.“

partim abnuere. Diſcant ex h. l. tirones, non duas ſemper particulas relativas ſibi invicem opponi.

CAPVT LXXXIV.

[Marius interim Conſul creatus nobilitatem ſibi inviſam vehementius infeſtat, milites undique, non abnuente Senatu, conquirit, et coram populo congregato verba facit, ad exagitandos patricios aptiſſime compoſita.]

At Marius, ut ſupra diximus, cupientiſſuma plebe Conſul factus, poſtquam ei provinciam Numidiam populus juſſit, antea jam infeſtus nobilitati, tum vero multus atque ferox inſtare: ſingulos modo, modo univerſos laedere: dictitare, *ſeſe conſulatum ex victis illis ſpolia cepiſſe;* alia praeterea magnifica pro ſe, et illis dolentia. Interim, quae bello opus erant, prima habere: poſtulare legionibus ſupplementum, auxilia a populis et regibus ſociisque arceſſere: praeterea ex Latio fortiſſimum quemque, ple-

Cap. LXXXIV. *Cupientiſſima plebe*, cum ſummo plebis favore. Cupere enim h. l. idem eſt, quod: *ſtudere alicui, favere.*

juſſit, ſc. *dari*, quod verbum in hac dictione ſemper omittunt ſcriptores optimae notae. Sed pronomen *ei*, quod anteceſſit, pendet a verbo omiſſo.

multus atque ferox h. e. multum ferociter, ſeu: ſaepe et ferox. Nam hoc loco *iterationis* tantum et *contentionis* notio in voce priori latere videtur; *mit wiederholter Heftigkeit*, quamvis inveniuntur paſſim loci, in quibus τὸ *multus* pro *moroſo* ac *gravi* accipiendum eſt.

conſulatum ex victis illis ſpolia cepiſſe, ſe invitis patriciis conſ. obtinuiſſe, et victis illis, tamquam ſpolia, e certamine reportaſſe.

alia praeterea ſc. dictitabat.

magnifica pro ſe, h. e. quae ſuam laudem augerent,

et illis dolentia, illis dolorem adferrent.

prima habere — ante alia omnia curare (pro: habebat).

rosque militiae, paucos fama cognitos accire, et ambiendo cogere homines emeritis ſtipendiis (ſecum proficiſci). Neque illi ſenatus, quamquam adverſus erat, de ullo negotio abnuere audebat; ceterum ſupplementum etiam laetus decreverat: quia neque plebi militia volenti putabatur, et Marius aut belli uſum, aut ſtudium volgi amiſſurus. Sed ea res fruſtra ſperata tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaſerat. Seſe quisque praeda locupletem, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi animis trahebant. Et eos non paullum oratione ſua Marius arrexerat. Nam poſtquam, omnibus, quae poſtulaverat, decretis, milites ſcribere volt, hortandi cauſſa ſimul, et nobilitatem, uti conſue-

pl. militiae, paucos fama cognitos. Sic diverſos caſus conjungere amat Noſter. Vtrumque enim dici poſſe: alicujus rei (ſc. nomine, laude, gloria) et aliqua re cognitum eſſe — nemo ignorat. Similium dictionum exempla attulit doctiſſimus Cortius. Ceterum hic eſt verborum ſenſus: plerosque commilitones in bello habuerat, paucos etc. etc.

ambiendo cogere. Non de vi cogitandum eſt, quae in emeritis locum non habebat, ſed *a. c.* nihil aliud eſt, quam *perſuadendo, rogando, pollicendo* compellere.

plebi volenti, ex Graecismo poſitum videtur pro: plebi *volens*, h. e. *grata, cupita.* Simili ſoloecismo, Graecum ſermonem imitantes, utimur, quum dicimus: „liceat mihi *loquenti*, pro *loqui*," et: illi eſt Nomen *Cajo.*

belli uſum — emolumenta ex bello ſperata.

animis trahebant — ſibi perſuadebant, fingebant.

omnibus decretis — cum S. omnia, quae poſtulaverat, ei conceſſiſſet.

verat, exagitandi, concionem populi advocavit. Deinde hoc modo disseruit.

CAPVT LXXXV.

[Sequitur Marii praestantissima, omnique orationis nitore abundans oratio, qua, suscepti muneris gravitate ac difficultate expositâ, suas virtutes, suam belli peritiam, corporis firmitatem, animi praesentiam, non sine ostentatione et acrimonia, nobilitati generis, qua freti patriciorum plerique summos sibi honores deposcant, opponit. Et quo facilius populi amorem sibi conciliaret, iterum dat optionem praesentibus, utrum se malint, an alium contra Iugurtham mittere. Sciebat enim, comparatione facta, neminem se peritiorem inventum iri. Quae praeterea de generis nobilitate tam graviter, quam vere profitetur, ea juvenibus majorum virtute superbientibus non satis possunt commendari. Vt breviter dicam, omnis oratio digna est, quae iterum iterumque legatur.]

Scio ego, Quirites, plerosque non isdem artibus imperium a vobis petere, et, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplicis, modicos esse; dehinc per ignaviam et superbiam aetatem agere. Sed mihi contra

Cap. LXXXV. *non tsdem artibus*, cfr. Cat. Cap. II. „imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est.“ Et locum Plauti simillimum in Capt. A. II. Sc. I. v. 36.

Sensus est: Scio, plerosque non iisdem virtutibus, quas, dum petunt imperium, simulare solent, munera sibi demandata gerere.

modicos — moderatos, alienos a superbia.

Sed mihi contra ea videtur, h. e. mihi id videtur, quod est contra ea. Sensus est: Non idem

ea videtur. Nam quo universa respublica pluris est, quam consulatus aut praetura, eo majore cura administrari, quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo beneficio vestro negotii sustineam. Bellum parare, simul et aerario parcere; cogere ad militiam, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum et adfinium opes, muliae clientelae, omnia haec praesidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est et virtute, et innocentia tutari. Nam alia infirma sunt. Et illud intellego, Quirites: omnium ora in me conversa esse: aequos bonosque favere: quippe benefacta mea reipublicae procedunt; nobilitatem locum invadendi quae-

mihi est propositum. Ego contra, quam spem nunc de me excito, ei satisfacere studebo.

quo u. r. pluris est, quanto gravius sanctiusque est, de universa republica bene mereri, quam praeturae aut consulatus honorem sibi quaerere.

debere sc. mihi videntur. Nam Infinitivus hic pendet a periodo antecedente.

quantum c. m. b. v. negotii sustineam — quanta et quam gravia sint imperatoriae dignitatis officia.

occursantis — contra nitentes, inimico animo resistentes.

praesidio adsunt, ad excusationem delictorum in promtu sunt.

alia — sc. adminicula, praesidia mea.

procedunt, quod alias est: *prospere cedunt*, *prosunt*, idh.

rere. Quo mihi acrius adnitendum eſt, ut neque vos capiamini, et illi fruſtra ſint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis labores, pericula conſueta habeam. Quae ante veſtra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deſeram, non eſt conſilium, Quirites. Illis difficile eſt in poteſtatibus temperare, qui per ambitionem ſeſe probos ſimulavere: mihi, qui omnem aetatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex conſuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum Iugurtha juſſiſtis; quam rem nobilitas aegerru-

l. pro: *computantur*, *conſiderantur* dictum videtur. Cfr. Ovid. Heroid. Ep. IX. v. 109.

locum invadendi, opportunitatem accuſandi, et reprehendendi.

neque Vos capiamini, ſc. ab invida nobilitate, quae obtrectatione et calumnioſa factorum meorum interpretatione Veſtrum favorem a me abalienare ſtudebunt.

neque — et ex more Salluſtii, et aliorum. Ceterum *fruſtra eſſe* idem eſt quod: ſpe excidere, decipi, incaſſum laborare. Vid. Plaut. Merc. A. III. Sc. I. v. 30.

Ita — — — fui. Conjunctio pronominis demonſtrativi loco poſita eſt. Plerumque enim dicitur: *is* fui. Dicas etiam: fui pro *vixi* poſitum eſſe.

a. mercede. Mercedem vocat beneficia, h. e. imperium ſibi delatum.

deſeram. Deſerere h. l. eſt negligere, non amplius exercere.

conſilium — animo propoſitum.

per ambitionem, ſc. quo facilius ſimulata moderatione ſummos honores adipiſcerentur.

benefacere. Huic verbo hoc certe loco non ineſt munificentiae, quam inopibus praeſtamus, notio; ſed idem eſt, quod *honeſte agere.*

quam rem nobilitas etc. — idque patricii aegerrume tulerunt.

me tulit. Quaeſo, reputate cum animis veſtris, num id mutare melius ſit, ſi quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris proſapiae ac multarum imaginum, et nullius ſtipendii: ſcilicet ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, feſtinet, ſumat aliquem ex populo monitorem officii. Ita plerumque evenit, ut quem vos imperare juſſiſtis, is imperatorem alium quaerat. Ac ego ſcio, Quirites, qui poſtquam Conſules facti ſunt, acta majorum

num id mutare melius ſit — num imperii ſummam ad me delatam in alium conferre malitis. — Ceterum verba: *id mutare* abundant, ſalvoque ſenſu abeſſe poſſent.

globo nobilitatis — aus dem Kreiſe, dem Haufen d. A. „Eſt enim globus *multitudo*, ſeu *manus conglobata*.“ Contemnere autem videtur nobilitatem, dum hisce vocibus multitudinem patriciorum notat.

veteris proſapiae. Quum vetuſtate generis plerumque gloriaretur illius aeque ac noſtri aevi nobilitas, et majorum virtutes velut hereditate ſibi traditas eſſe autumaret, non ſine cauſa *veteris proſapiae et imaginum* (der Ahnenbilder), quas in atrio poſitas ſanctiſſime colebant, meminit Noſter, et „in re veteri vetuſto etiam vocabulo utitur.“ Obſoletam enim fuiſſe vocem *proſapiam* (ut noſtrum: Sippſchaft) teſtatur Cicero.

et nullius ſtipendii. Salſe haec verba, tanquam et iis quaedam vis ad laudandum ineſſet, adjungit antecedentibus, quum dedecori potius quilibet vir bonus ſibi ducere debeat, ſtipendia non meruiſſe. Cfr. ſupra Cap. XLI.

ignarus omnium — eorum ſc. quae imperatorem decent.

poſtquam Coſſ. facti ſunt — tum demum, quum jam Coſſ. eſſent facti. Ex hoc loco patet, eos tantum ad conſularem dignitatem bene praeparatos Mario viſos eſſe, qui res geſtas majorum, et militaria praecepta, qualia Xenophon ſcripſerat, quorumque majorem tum copiam exſtitiſſe verisimile eſt, aſſidue legerint. Cfr. Quint. II. Cap. 5, inprimis autem

et Graecorum militaria praecepta legere coeperint; homines praeposteri. Nam gerere, quam fieri posterius, re atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quae illi audire et legere solent eorum partim vidi, alia egomet gessi: quae illi litteris, ego militando didici. Nunc vos existumate, facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam: Mihi fortuna, illis probra objectantur; quamquam ego natu-

Plin. Paneg. Cap. 13. Cic. IV. Acad. quaest. C. I. Tacit. Agric. Cap. 5.

homines praeposteri — die verkehrten Menschen. Sic merito eos adpellat, qui, cum doctrina et rei militaris scientia imbuti ad rem gerendam accedere debuissent, nunc demum libros legere inciperent.

Nam gerere — sc. consulatum, *quam fieri* sc. consulem *posterius est* sc. tempore, (nemo enim Consulatum gerit, nisi qui antea sit adeptus).

re atque usu prius est — h. e. sin autem ad rem ipsam, Consulisque peritiam respicis, fateri debebis, neminem, nisi qui antea Consulari virtute ornatus rerumque gerendarum scientia imbutus sit, Consulatum administrare posse. — Observent juvenes τὸ *fieri* κατ' ἐξοχὴν pro: *Consulem fieri* — dictum esse.

me hominem novum — mich, den Mann ohne Ahnen.

partim — alia i. q. partim — partim.

litteris — militando jene aus Büchern, ich im Felde.

Nunc vos existumate. — Vobis ego jam censendum judicandumque relinquo.

Mihi fortuna etc. Non possum, quin praestantissimum Senecae locum, a Cortio citatum, in gratiam tironum adponam: „Cum voles, inquit Ep. LXXVI, veram hominis aestimationem inire, et scire, qualis sit, nudum inspice; ponat patrimonium, ponat honores et alia fortunae mendacia; corpus ipsum exuat, animum intuere, qualis quantusque sit: alieno, an suo magnus."

ram unam et communem omnium existimo, sed fortissumum quemque generosissumum. Ac si jam ex patribus Albini, aut Bestiae quaeri posset, mene, an illos ex se gigni maluerint; quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optumos voluisse? Quod si jure me despiciunt, faciunt idem majoribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant et laborі, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi. Verum homines corrupti superbia ita aetatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Ne illi falsi sunt, qui divorsissimas res pariter exspectant, ignaviae voluptatem, et praemia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione majores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clario-

naturam unam et communem omnium existimo h. e. si ad originem hominis principiumque respicimus, neminem altero nobiliorem puto. Cfr. Senec. III. Benef. Cap. XXVIII.

sese liberos quam optumos voluisse — Paulo modestius, quam si dixisset: illos Marium suis liberis atque nepotibus praelaturos esse.

faciunt idem majoribus suis — majores quoque suos despiciant, necesse est, qui ipsi post comprobatam domi bellique virtutem nobilitari coepere.

quasi honeste vixerint, ac propterea jure suo illos petere possint.

Ne illi falsi sunt. Profecto isti homines decipiuntur, in errores versantur.

res ſeſe putant: quod contra. Nam quantum vita illorum praeclarior, tanto horum ſecordia flagitioſior. Et profecto ita ſe res habet: majorum gloria poſteris lumen eſt, neque bona neque mala in occulto patitur. Hujusce rei ego inopiam patior, Quirites; verum id, quod multo praeclarius eſt, meamet facta dicere licet. Nunc videte, quam iniqui ſint. Quod ex aliena virtute ſibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt: ſcilicet, quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas eſt; quam certe peperiſſe melius eſt, quam acceptam corrupiſſe. Equidem ego non ignoro, ſi jam reſpondere velint, abunde illis facundam et compoſitam orationem fore. Sed in maxumo veſtro beneficio, cum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modeſtiam in conſcientiam duceret. Nam me quidem, ex animi ſenten-

neque bona, neque mala etc. nec virtutes eorum, nec vitia in occulto patitur, ſed mores eorum et res geſtas latius conſpiciendas praebet.

Hujusce rei — majorum gloriae.

Sed in maxumo Veſtro beneficio — nunc, cum Conſulatum, maximum illud, quo cives exornare poteſtis, beneficium in me contuliſtis.

reticere — nec mea in remp. merita, nec illorum iniquitatem.

in conſcientiam duceret, ita interpretaretur, ut vera eſſe illorum opprobria concedere viderer.

ex animi ſententia, h. e. ſic equidem mihi perſuaſum habeo. Idem quod alias: profecto, mehercle, et ſimilia.

tia, nulla oratio laedere poteſt. Quippe vera neceſſe eſt bene praedicet; ſalſam vita moresque mei ſuperant. Sed quoniam veſtra conſilia accuſantur, qui mihi ſummum honorem, et maxumum negotium impoſuiſtis: etiam atque etiam reputate, num id poenitundum ſit. Non poſſum fidei cauſſa imagines, neque triumphos, aut conſulatus majorum meorum oſtentare; at, ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; praeterea cicatrices advorſo corpore. Hae ſunt meae imagines, haec nobilitas, non haereditate relicta, ut illa illis, ſed quae ego plurimis laboribus et periculis quaeſivi. Non ſunt compoſita verba mea: parum id facio; ipſa

quippe vera — Nam ſi vera eſt, int. oratio.

ſuperant — falſam eſſe evincunt, refutant.

Sed quoniam etc. Hisce verbis, non admodum modeſte quidem, ſatis prudenter tamen ad dicendum pro civium honore ſe coactum eſſe profitetur.

Veſtra conſilia. Eure Maſsregeln, oder Abſichten.

fidei cauſa — quo majorem verbis meis, Veſtraeque de me ſpei fidem faciam.

haſtas — quae pro re fortiter geſta militibus praemii loco dabantur. „Nam *primis temporibus*, qui primum in proelio viciſſet, haſta pura donabatur, *deinde* qui hoſtem vulneraverat, aut ſtrenue prae reliquis egerat.“

Similia virtutis praemia fuere *vexilla* et *phalerae.* De phaleris autem dubitarunt nonnulli, equorumne an et equitum fuerint ornamenta.“

Non ſunt compoſita etc. Non eſt elegans oratio mea, nec ad perſuadendum apte compoſita.

parum id facio — parum id curo; non nimis ſtudioſus ſum elegantiae ſermonis. — Igitur h. l. verbum *facere* non eſt idem quod *exiſtimare*, quam ſignificationem falſo intellexit

se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, uti turpia facta oratione tegant. Neque litteras Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optuma reipublicae doctus sum: hostem ferire, praesidia agitare; nihil metuere, nisi turpem famam; hiemem et aestatem juxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor:

Gruterus, qui, „Solocismum in lectione vulgata timens," *parvi id facio* edidit. Sed facere idem hic est, quod *laboro, curo.*

artificio — composita oratione; verbis fallacibus; fuco sermonis.

Neque litteras Graecas didici. Eandem fere vim habent ista verba, ac si quis Nostrûm, postquam summos in rep. honores accepisset, Gallicae linguae prorsus ignarum se esse confiteretur. Nam omnes fere juvenes nobiliorum gentium, et quicunque liberaliter educati erant, Graecis litteris operam navaverant.

ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. Dupliciter hic locus intelligi potest; nam *doctores* sunt vel *Graeci* omnino, vel illi, quos nomine parum honesto Graeculos adpellabant, a quibus juvenes Romani instituebantur. Sed omnes Graecos intelligendos esse, ex Plutarchi Mario probat doctiss. Cortius.

multo optuma — longe utilissima. *Bonum* enim pro *utili* interdum dicitur.

praesidia agitare — inter eos esse, qui praesidio mittebantur. Nam *praesidium agitare* nihil aliud est, quam praesidio esse vel frumentantibus, vel impedimentis, vel urbi oppugnatae. Vid. sup. Cap. LV.

hiemem et aestatem juxta pati — aeque patienter hiemis frigus, atque calorem aestatis tolerare.

His ego praeceptis milites hortabor. Vt idem faciant, meumque exemplum sequantur, milites hortabor. Cur autem istas virtutes *praecepta* vocet, ex antecedentibus intelligitur. Non Graecis litteris, inquit, sed hisce meis virtutibus, longe utilioribus reip., milites ad

neque illos arte colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc eſt utile, hoc civile imperium. Namque cum tute per mollitiem agas, exercitum ſupplicio cogere, id eſt, dominum, non imperatorem eſſe. Haec atque talia majores veſtri faciundo ſeque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipſa diſſimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit; et omnis honores non ex merito, ſed quaſi debitos a vobis repetit. Ceterum homines ſuperbiſſimi procul errant. Majores eorum omnia, quae licebat,

fortitudinem bellicam excitabo.

neque illos arte colam, me opulenter: non illos aſpere, et rigide tractabo, me indulgenter. *Arte* enim i. q. arcte. *Colere* i. q. tractare.

neque — faciam — — neque res multo labore ab illis geſtas mihi gloriae ducam.

civile imperium — mite, moderatum. Tale, inquit, imperium civis exercere debet in cives.

tute — tu ipſe.

per mollitiem agas ſc. vitam (nam abſolute dicitur *agere* pro: vitam agere) h. e. molliter vivas.

ſupplicio cogere — acerbiſſimis poenis ad officium cogere.

dominum. Vide, quantam civilitatem, prudentiamque Mario tribuat auctor. Domini enim regisque nomen tam vehementer adverſabantur Romani, ut, qui a dominandi cupiditate ſe prorſus alienum profiteretur, gratiſſimus iis eſſet.

celebravere — clariſſimam reddidere.

Quis — quibus ſc. majoribus, ſeu majorum virtutibus.

procul errant. Noſtrum: verirren ſich weithin; h. e. vehementer falluntur.

omnia, quae licebat. Haec verba cum ſequentibus „*virtutem non reliquere*“ jungenda ſunt. Senſus eſt: *quamvis* majores eorum omnia, quae ad vitam commode agendam pertinent, iis reliquerunt: *tamen* virtutem relinquere non potuerunt.

illis reliquere, divitias, imagines, memoriam ſui praeclaram: virtutem non reliquere; neque poterant: ea ſola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultis moribus ajunt; quia parum ſcite convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo. Quae mihi lubet confiteri. Nam ex parente meo, et ex ſanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum; arma, non ſupellectilem decori eſſe. Quin ergo quod iuvat, quod carum aeſtumant, id ſemper faciant: ament, potent; ubi adoleſcentiam habuere, ibi ſenectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpiſſimae parti corporis: ſudorem, puluerem et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iucundiora ſunt. Verum non eſt ita. Nam ubi ſe omnibus flagitiis dedecoravere turpiſſu-

neqve datur dono, neque accipitur. Similiter ſupra Cap. I. Cfr. Senec. Ep. XXVII. ad fin.

parum ſcite, minus eleganter. Exornabant autem convivia adhibitis comoedis, lyriſtis, pſaltriis, aliisque luxuriae inſtrumentis.

hiſtrionem. De iſto hominum genere narrat Liv. VII. Cap. II.

bonis — viris honeſtis, patriae ſalutem ſuo commodo praeferentibus.

Verum non eſt ita: non contenti ſuis voluptatibus ampliſſimos etiam honores concupiſcunt.

mi viri, bonorum praemia ereptum eunt. Ita injuſtiſſume luxuria et ignavia, peſſumae artes, illis, qui coluere eas, nihil obſiciunt; reipublicae innoxiae cladi ſunt. Nunc quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia, poſcebant, reſpondi; pauca de republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam quae ad hoc tempus Iugurtham tuta ſunt, omnia removiſtis, avaritiam, imperitiam, ſuperbiam. Deinde exercitus ibi eſt, locorum ſciens; ſed mehercule magis ſtrenuus, quam felix. Nam magna pars avaritia, aut temeritate ducum adtrita eſt. Quamobrem vos, quibus militaris aetas, adnitimini mecum et capeſſite rempublicam: neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum ſuperbia metus ceperit. Egomet in agmine, in

Nunc, quoniam etc. Sequitur nunc altera pars orationis, qua reipublicae faciem, bellique Iugurthini naturam depingit.

quantum mores mei, n. i. f. p. — hoc eſt: aperte quidem et ingenue, ſed breviter et cum aliqua moderatione; non enim omnia, quae de flagitiis eorum dici potuiſſent, notavi.

tuta ſunt — tutum praeſtiterunt.

magis ſtrenuus, quam felix: Felicior enim fuiſſet, niſi imperatorum avaritia et temeritas victoriam ſaepe e manibus dimiſiſſet.

militaris aetas, quae ab aetatis anno decimo ſeptimo ad ſexageſimum usque procedebat. Verbum *eſt* non hic tantum, ſed multis quoque aliis in locis omittit; e. g. Victoria nobis in manu Cat. XX.

praelio conſultor idem, et ſocius periculi vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, dis iuvantibus, omnia matura ſunt, victoria, praeda, laus: quae ſi dubia aut procul eſſent, tamen omnis bonos reipublicae ſubvenire decebat. Etenim ignavia nemo immortalis factus: neque quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optavit; magis, uti boni honeſtique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, ſi timidis virtutem verba adderent: nam ſtrenuis abunde dictum puto.

CAPVT LXXXVI.

[Ita confirmato plebis animo, A. Manlium legatum praemittit; ipſe milites promiſcue, plerosque ex infima

conſultor idem et ſocius periculi, et conſilia Vobis ſuppeditabo, et ipſe Vobiscum pericula ſubibo. Obſervent juvenes vocabula: *idem et*, quae intimum ſequentis cum antecedente nexum ſignificant.

meque Vosque i. o. r. juxta geram — omnes fortunae viciſſitudines Vobiscum ſubire paratus ſum, nec ullum discrimen inter nos eſſe patiar.

omnia matura ſunt h. e. in promtu ſunt, maturi fructus inſtar, qui manum decerpentis exſpectat.

ſi etc. etiamſi.

neque quisquam etc. Non video, cur nemo mortalium aeternam liberis vitam optare potuerit — forſan, quia mors omnibus inſtat, et quilibet facile praevidet, tale votum irritum fore. — Cortius *neque* interpretatur per: *non tam*. Manutius vero docet, Salluſtium h. l. ſequi Platonis verba: ὁ γὰρ ἀθανάτως σθίσι παῖδας ἔυχοντα γενέσθαι, ἀλλ' ἀγαθὸς καὶ εὐκλεεις

virtutem verba adderent. Simillimus eſt in orat. Catil. locus ſupra Cap. LVIII.

plebe, conquirit, quibuscum paucis diebus Vticam advehitur.]

Hujuscemodi oratione habita, Marius postquam plebis animos arrectos videt, propere commeatu, stipendio, armis, aliis utilibus navis onerat: cum his A. Manlium legatum proficisci jubet. Ipse interea milites scribere non more majorum, neque ex classibus, sed uti cujusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant; quod ab eo genere

Cap. LXXXVI. *Commeatu, stipendio:* Nostrum: Proviant, Kriegs-Casse.

scribere — conscribit, conquirit.

ex classibus — intellige sex illas classes, a Servio Tullio descriptas, quarum sexta proletarios, et capite censos, complectebatur, qui eum in modum contemti erant, ut ne *civium quidem classibus* adnumerarentur. Alias enim Sallustius scribere nequivisset: neque ex classibus, sed — — — capite censos. Mihi quidem verba modo citata, explicandis antecedentibus adjecta, unam eandemque sententiam, negando adfirmandoque, declarare videntur. Cortius autem duplici modo Marium contra morem majorum peccasse putat, neque ex classibus eligentem milites, nec quales scriberet, quidquam pensi habentem. Quod mihi quidem non liquet. Nam, si haec esset verborum sententia, scribere debuisset Noster: et non modo *non* ex classibus, sed etc. — Nam propositio, quae a voce *sed* incipit, est opposita antecedenti, adfirmatque quod altera negat.

Capite censos plerosque — Hos a militia liberos fuisse constat. „Neque proletarii, neque capite censi (inquit A. Gellius XVI. 10.) milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur; quia familia pecuniaque his aut tenuis, aut nulla esset.

Id factum — sc. esse — memorabant.

Inopia bonorum — civium ditiorum.

Per ambitionem sc. captandae benevolentiae, gratiarumque agendarum causa. Cortius acute observat, Valerium Maxi-

celebratus auctusque erat; et homini potentiam quaerenti egentiſſumus quisque opportuniſſumus: cui neque ſua curae, quippe quae nulla ſunt, et omnia cum pretio honeſta videntur. Igitur Marius cum majore aliquanto numero, quam decretum erat, in Africam profectus, diebus paucis Vticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato. Nam Metellus conſpectum Marii fugerat: ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

CAPVT LXXXVII.

[Marius militem praeda locupletat, oppida parum firma occupat, tirones illos nuper ſcriptos puguae adſuefacit, ut brevi tempore a veteranis vix poſſent diſcerni. Reges, audito ejus adventu, loca aſpera atque difficilia petunt.]

Sed conſul, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem et praeda onuſtum proficiſcitur. Omnia ibi capta militibus

mum II. 3. 1. hanc vocem minus recte interpretatum eſſe, ideoque aliam facti illius rationem — ſc. novitatis conſcientiam — attuliſſe. Marius nempe ſui generis homines cohoneſtare voluiſſe Valerio viſus eſt.

Omnia cum pretio — h. e. omnia, quibus pretium propoſitum eſt.

a. P. Rutilio legato, cujus Cap. L et LII. mentio facta eſt.

Cap. LXXXVII. *auxiliariis.* Hoc Adject. ſupervacaneum videtur Cortio, propterea quod cohortes additae legionibus ſemper *auxiliariae* ſint.

Omnia i. c. milit. donat. Numidas vero etiam Gaetulosque variis modis a verſuto Conſu-

donat. Dein caſtella et oppida natura et viris parum munita adgreditur: praelia multa, ceterum alia levia aliis locis facere. Interim novi milites ſine metu pugnae adeſſe: videre fugientis capi, occidi; fortiſſumum quemque tutiſſimum: armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi: gloriam atque divitias quaeri. Sic brevi ſpatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, divorſi in locos difficilis abeunt. Ita Iugurthae placuerat, ſperanti, mox effuſos hoſtis invadi *poſſe;* Romanos, ſicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.

CAPVT LXXXVIII.

[Metellus Romae a plebe patribusque benigne excipitur. Marius interim, explorata utriusque exercitus conditione, cognitoque regum itinere, Iugurtham armis exuit; tum vero, belli citius finiendi cauſa, ſingulas urbes circumvenire ſtatuit. Bocchus per nuntios amicitiam pop. Romani implorat.]

le adlectos eſſe probat Cortius ſcriptorum teſtimoniis.

viris — praeſidio.

alia levia aliis locis. Legendum procul dubio: ceterum levia, alia aliis locis.

effuſos — palantes, diſperſos, huc illuc temere vagantes.

invadi poſſe. Verbum *poſſe* ſuſpectum videtur Cortio, propterea quod verbis *ſpei* fiduciaeque *praeſens* tempus plerumque adjungatur; idemque obſervat, in cod. Guelf. 3. illud reſecatum eſſe.

ſicuti plerosque i. e. per Syllepſin: ſicuti plerique eſſe ſoleant.

Metellus interea Romam profectus, contra ſpem ſuam, laetiſſumis animis excipitur: plebi patribusque, poſtquam invidia deceſſerat, juxta carus. Sed Marius impigre prudenterque ſuorum et hoſtium res pariter adtendere; cognoſcere quid boni utrisque, aut contra eſſet; explorare itinera regum, conſilia et inſidias antevenire: nihil apud ſe remiſſum, neque apud illos tutum pati. Itaque et Gaetulos, et Iugurtham ex ſociis noſtris praedam agentes, ſaepe adgreſſus itinere ſuderat, ipſumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quae poſtquam glorioſa modo, neque belli patrandi cognovit, ſtatuit urbis, quae viris aut loco pro hoſtibus, et advorſum ſe opportuniſſimae erant, ſingulas circumvenire: ita Iugurtham aut praeſidiis nudatum, ſi ea pateretur, aut praelio certaturum.

CAP. LXXXVIII. *Laetiſſumis animis excipitur.* Imo poſtea triumphavit, teſte Eutropio IV. 11. Alterum de Iugurtha triumphum Marius egit.

juxta — aeque.

nihil apud ſe remiſſum, neque apud illos tutum pati — h. e. nihil a ſuis negligi, nec hoſtes ullo loco tutos eſſe paſſus eſt. *Tutum* vero etiam dicitur id, *quo* ſe tuentur hoſtes.

armis exuerat, tam ſtrenue perſecutus erat, ut arma relinquere coactus eſſet. Sic *exuere aliquem urbe, caſtris, provinciis* dicitur.

neque belli patrandi h. e. ad bellum patrandum, ſive conficiendum, idonea. Eandem vim Genitivi cognoſces ex hiſce verbis in bello Catilin. Cap. VI. occurrentibus: „regium imperium, quod initio *conſervandae libertatis* et *augendae reip.* fuerat, in ſuperbiam etc. convertit.“ Nec vero neceſſe eſt, ut *cauſa*, *gratia* ſimilesque voces addantur.

Nam Bocchus nuncios ad eum ſaepe miſerat, *velle populi Romani amicitiam, ne quid ab ſe hoſtile timeret.* Id ſimulaveritne, quo inprovisus gravius accideret, an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare ſolitus, parum exploratum.

CAPVT LXXXIX.

[Conſul interim, oppidorum aliquot vi doloque potitus, quum Iugurtham procul abeſſe cognoviſſet, urbem Capſam, arte ac ſitu inter deſerta munitiſſimam, occupare, eoque facto Metellum, qui Thalam expugnaverat, aequiparare ſtudet.]

Sed Conſul, uti ſtatuerat, oppida caſtellaque munita adire: partim vi, alia metu, aut praemia oſtentando avortere ab hoſtibus. Ac primo mediocria gerebat, exiſtumans, Iugurtham ob ſuos tutandos in manus venturum. Sed ubi procul abeſſe, et aliis negotiis intentum accepit;

accideret pro: accederet, irrueret.

mobilitate ingenii, inconſtantia.

pacem atque bellum mutare, modo pacem petere, modo bellum renovare.

Cap. LXXXIX. *mediocria gerebat.* Non ad oppida referri poteſt adjectivum, ſed *facta* ſubintell. *Mediocria facta* ſunt res non admodum difficiles, minus aſperae. Conf. XCII, „poſtquam *tantam* rem (ſc. Capſae expugnationem) patravit.

in manus venturum pro: manus conſerturum. Simili dictione, quam ex Thucydide deſumtam eſſe probat doctiſſimus Cortius, uſus eſt Noſter infra CI, et ſupra Cap. LVII.

majora et aſpera adgredi tempus viſum. Erat inter ingentis ſolitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capſa: cujus conditor Hercules Libys memorabatur. Ejus cives apud Iugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fideliſſumi habebantur: muniti advorſum hoſtis non moenibus modo, et armis atque viris, multo magis locorum aſperitate. Nam, praeter oppido propinqua, alia omnia vaſta, inculta, egentia aquae, infeſta ſerpentibus: quarum vis, ſicuti omnium

majora et aſpera. Ne quis tironum putet, ante vocem *aſpera* adverbium *magis* omiſſum eſſe, Cortius monet, exemplisque probat, vocem *majora* involvere Comparativum Adjectivi ſequentis. Nam et ſupra Cap. XVI. legimus: quae portuoſior, et aedificiis *magnis* (non majoribus) exornata erat.

Adgredi. Cave putes Genitivum Gerundii h. l. aptius fore. Nam ſexcenties ita et Noſtrum, et alios bonae notae ſcriptores, ſcripſiſſe probat Cortius. Conf. Cat. Cap. IV. in. „non fuit conſilium — — — conterere.“

Hercules Libys. Florus urbem Capſam „*Herculi*“ (nullo gentis nomine addito); Oroſius eandem „*ab Hercule Phoenice*,“ qui forte idem eſt cum Libye, conditam ſcribit. — Quod ſi cum Criſpo Noſtro Cap. XVIII. B. I. unum tantummodo hujus nominis heroëm fuiſſe ſtatuas, a transitu ejus per Africam illud cognomen derivari poſſet. — Sed *Tullius* L. III. de Natura Deor. Cap. XVI. ſex Hercules nominat, in quibus tamen Libyen haud recenſet; *Servius* autem ad VIII. Aen. v. 564. omnes viros fortes *Hercules* dictos eſſe docet, additque: „*Licet eos primo XLIV. enumeraverint*, quorum nonnulla nomina adlegans *Libyum* quoque recenſet.

levi imperio, et ob ea fideliſſumi habebantur. Duplex h. l. eſt verbi *habere* ſignificatio. Nam *levi imperio habere* idem fere eſt, quod *leniter alicui imperare*, tractare quem.

praeter oppido propinqua — praeter ea loca, quae oppido propinqua ſunt.

infeſta ſerpentibus — pericu-

ferarum, inopia cibi acrior. Adhoc natura ferpentium ipſa perniciosa ſiti magis, quam alia re, accenditur. Ejus potiundi Marium maxuma cupido invaſerat; cum propter uſum belli, tum quia res aſpera videbatur; et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud disſimiliter ſitum munitumque: niſi quod apud Thalam haud longe a moenibus aliquot fontes erant; Capſenſes una modo, atque ea intra oppidum, jugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique, et in omni Africa, qui procul a mari incultius agebant, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et ferina carne veſcebantur, neque ſalem, neque alia irritamenta gulae quaerebant: Cibus illis advorſum famem atque ſitim, non lubidini, neque luxuriae erat.

CAPVT XC.

[Marius, extrema aeſtate, *A. Manlium* legatum ad oppidum *Laris* ire jubet; ipſe, illum ſecuturus, ad flumen Tanam pergit.]

loſa propter ſerpentes. Harum peſtiferam vim cecinit *Silius Ital.* I. v. 212.

natura ſerpentium ipſa h. e. per ſe ipſa.

oppidum Thalam etc. De cujus occupatione repetas, quae Cap. LXXV et LXXVI, narrata ſunt.

jugi ab Adject. *jugis*. Eſt autem *jugis aqua* — profluens e terra.

cetera pluvia. Vtraque vox ſexto caſu poſita ad aquam referenda eſt.

qui procul a mari incultius agebant. Aut ſupplendum eſt ante haec verba: „*ab iis gen-*

Igitur Conſul, omnibus exploratis, credo, dis fretus, nam contra tantas difficultates conſilio ſatis providere non poterat: quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis, quam arvo ſtudent, et quodcumque natum fuerat, juſſu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempeſtate, nam aeſtatis extremum erat; tamen pro rei copia ſatis providenter exornat: pecus omne, quod ſuperioribus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum adtribuit; A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi ſtipendium et commeatum locaverat, ire jubet, ſe praedabundum poſt

tibus," aut (ſuſpicor) a Salluſtio ſcriptum: tolerabant.

Cap. XC. *Credo, dis fretus* — deorum, ſeu fortunae, auxilio confiſus. Haec vel propterea, quod rem per ſe nimis difficilem humano conſilio geri potuiſſe dubitaret, vel ad ſignificandam Marii ſuperſtitionem addidit. Arnſpicibus enim ſagisque nimium deditus erat Conſul. Vid. ſup. Cap. LXIII.

frumenti inopia tentabatur, periculum inopiae Conſuli imminebat.

arvo ſtudère, i. e. quod: agrum colere. Hujus autem cultura ab hominibus illis, qui lacte et ferina carne veſci ſolebant, negligebatur.

quodcunque natum fuerat — h. e. e terra provenerat. Nam inanima etiam *naſci* gignique dicuntur.

pro rei copia, quantum licuit in illo rerum ſtatu.

ad oppidum Laris. Dubitari poſſit, ſecundusne ſing. an quartus pluralis caſus intelligendus ſit. Vt enim dixere: *oppidum Patavii, flumen Rheni*, ſic *oppidum Laris* Genit. caſu ſcribere potuiſſet Noſter. Sed *Cortio*, cujus auctoritas plurimum mihi valet, Accuſatius placet.

ubi — — — *locaverat* — quo vehi juſſerat.

Stipendium et commeatum. — Noſtrum: die Kriegscaſſe und

paucos dies eodem venturum. Sic incepto ſuo occulto pergit ad flumen Tanam.

CAPVT XCI.

[Quum aliquantisper praedam egiſſet, ac die ſexto, multis in itinere utribus e corio confectis, ad flumen perveniſſet, Marius, interdiu quieſcens, noctu iter faciens, tertia die, poſtquam a flumine diſceſſerat, Capſam inopinatus adgreditur, factaque deditione, oppidum incendit, Numidas puberes interficit, alios omnes venumdat, praedam militibus dividit.]

Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent, curabat: ſimul et inopiam frumenti lenire, et, ignaris omnibus, parare, quae mox uſui forent. Denique ſexto die, cum ad flumen ventum eſt, maxima vis utrium effecta. Ibi caſtris levi munimento poſitis, milites cibum capere, atque, uti ſimul cum occaſu ſolis egrederentur, paratos eſſe jubet:

den Proviant. Haec in tironum gratiam adnotaſſe non piget.

ſe praedabundum — — — venturum h. e. ſe nunc, priusquam ſequatur, praedaturum, tum vero, praeda facta, eodem venturum.

Cap. XCI. *pecus — — aequaliter distribuerat* — non ut ageront, quod interpretes quidam intellexere, ſed ut eo procibo uterentur, propter frumenti inopiam.

aequaliter — ita, ut ſi centuria quaeque acceperat v. g. decem oves, ſingulae turmae acciperent tres. Cort.

quae mox uſui forent — ſc. aquae receptacula.

vis — i. q. multitudo, numerus, copia.

omnibus ſarcinis abjectis, aqua modo ſeque et jumenta onerare. Dein, poſtquam tempus viſum, caſtris egreditur, noctemque totam itinere facto, conſedit. Idem proxuma facit. Dein tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumuloſum, ab Capſa non amplius duum millium intervallo: ibique, quam occultiſſume poteſt, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies coepit, et Numidae nihil hoſtile metuentes multi oppido egreſſi; repente omnem equitatum, et cum his velociſſimos pedites curſu tendere ad Capſam, et portas obſidere jubet: deinde ipſe intentus propere ſequi, neque milites praedari ſinere. Quae poſtquam oppidani cognovere; res trepidae, metus ingens, malum improviſum, ad hoc pars civium extra moenia in hoſtium poteſta-te, coegere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incenſum: Numidae puberes interfecti; alii omnes venum dati: praeda militibus diviſa. Id facinus contra jus belli, non avaritia, neque ſcelere Conſulis admiſſum; ſed quia locus Iugur-

opperitur ſc. lucis ortum, ſive, ulterius progrediendi tempus.

res trepidae — ſtatus rerum, in quo, quid conſilii capiendum ſit, ignorant homines perturbati.

coegere. Hoc verbum ad omnes, qui antecedunt, Nominativos, quibus deditionis cauſae continentur, referendum eſt.

interfecti — Eandem in deditos crudelitatem ipſe Iugurtha exercuerat. Vid. ſupra Cap. XXVI.

thae opportunus, nobis aditu difficilis: genus hominum mobile, infidum, neque beneficio, neque metu coercitum.

CAPVT XCII.

[*Summa Capitum XCII. XCIII et XCIV.* Marius, ingenti gloria praedaque auctus, hostibus terribilis, militi carus alia quoque oppida facili negotio capit, luctu omnia complet. Tum vero difficillimam rem adgressus, montem saxeum, haud longe a flumine Mulucha situm, quod ibi regis thesauros esse cognoverat, occupare, Numidisque defendentibus eripere summa vi conatur. Diu frustra laborat: tandem, adjuvante fortuna, per Ligurem quendam tramite invento, castellum munitissimum capit.]

Postquam tantam rem Marius, sine ullo suorum incommodo patravit; magnus et clarus antea, major et clarior haberi coepit. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur: Milites modesto imperio habiti simul, et locupletes ad coelum ferre: Numidae magis, quam mortalem timere: postremo omnes socii atque hostes credere illi aut mentem divinam, aut deorum nutu

Cap. XCII. *Omnia non bene consulta* — male deliberata — *nicht sorgfältig überlegte, unreife Anschläge.* Haec autem propterea, quod castelli obsidionem, pessime deliberatam, memoraturus erat, praemonuit.

in virtutem trahebantur. Nostrum: es ward ihm zum Verdienste angerechnet. Idem fere est, quod: *in bonam partem accipere, in gloriam vertere, laudi ducere.*

modesto imperio habiti simul, et locupletes; h. e. quibus non tantum modeste imperaverat, sed qui praeda etiam locupletati erant.

illi aut mentem divinam sc. inesse, quod pro more suo Cris-

cuncta portendi. Sed Conſul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit: pauca, repugnantibus Numidis, capit; plura deſerta, propter Capſenſium miſerias, igni corrumpit: luctu atque caede omnia complentur. Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, ad aliam rem adgreditur, non eadem aſperitate, qua Capſenſium, ceterum haud ſecus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthae Bocchique regnum disjungebat, erat inter ceteram planiciem mons ſaxeus, mediocri caſtello ſatis patens, in immenſum editus, uno peranguſto aditu relicto: nam omnis natura, velut opere atque conſulto praeceps. Quem lo-

pus omiſit. Nam Verbum ſubſt., ſequente alio, ſaepe ab eo intermitti, pluribus exemplis confirmat doct. Cortius, quorum unum adfero Cap. XXXI. „quae quamquam *gravia*; tamen conſuetudine jam pro nihilo habentur.“

non eadem aſperitate, q. C. c. h. ſ. difficilem, quae minus periculoſa quidem, quam Capſae obſidio, ſed aeque difficilis erat.

inter ceteram planiciem — in medio planiciei.

mediocri caſtello ſatis patens. Iungenda ſunt haec verba, non autem, commate poſt ſecundam vocem interjecto, dirimenda. Nam patens caſtello (i. e. ad caſtellum) dicitur mons, qui, ſatis lato cacumine, caſtellum excipere poteſt. Bene *Höckius* ita vertit: „ein Fels, der für ein mäſsiges Kaſtell hinlänglichen Raum, eine unermeſsliche Höhe, und nur einen einzigen ſehr ſchmalen Zugang hatte.“

Nam omnis natura. Vel τὸ *omnis* pro Nominativo, et vocem: *natura* pro ſexto caſu accipias, vel etiam utrumque ſubſt. primo caſu poſitum videri poteſt, ut ſupplendum ſit *montis*. Sed Ablativus eſt veriſimilior propter ſequentia.

velut opere atque conſulto h. e. non aliter ac ſi arte ita factum eſſet.

cum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte, quam consilio melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis frumenti et fons aquae: aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus: iter castellanorum angustum admodum, utrimque praecisum. Vineae cum ingenti periculo frustra agebantur. Nam cum eae paullum processerant, igni, aut lapidibus corrumpebantur: milites neque pro opere consistere, propter iniquitatem loci; neque inter vineas sine periculo administrare: optumus quisque cadere, aut sauciari; ceteris metus augeri.

CAPVT XCIII.

At Marius, multis diebus et laboribus consumtis, anxius trahere cum animo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat; an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus. Quae cum

Sed ea res forte, quam consilio melius gesta — Haec verba desunt in rec. Cortiana anni 1724, operarum culpa: nam notae editoris infra textum reperiuntur.

Castellanorum — in castello habitantium.

praecisum — praeruptum.

pro opere — ante vineas, quibus succedebant.

administrare — laborare — Verbum de bellicis laboribus usitatum.

Cap. XCIII. *trahere cum animo* — dubitare, haerere, secum reputare.

multos dies, noctes aeſtuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, caſtris aquatum egreſſus, haud procul ab latere caſtelli, quod avorſum praeliantibus erat, animum advortit inter ſaxa repentis cochleas: quarum cum unam atque alteram, dein plures peteret, ſtudio legundi paullatim prope ad ſummum montis egreſſus eſt. Vbi poſtquam ſolitudinem intellexit, more humani ingenii, cupido ignara viſundi invadit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter ſaxa, paullulum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert; cujus ramis modo, modo eminentibus ſaxis niſus Ligus, caſtelli planitiem perſcribit; quod cuncti Numidae intenti praeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox uſui fore ducebat, eadem regre-

aeſtuans — animo vehementer perturbato.

aquatum — aquae hauriendae cauſa.

ſolitudinem — Quum illam cacuminis partem hominibus vacuam intelligeret, nec diſcurſantium ſtrepitum ibi audiret. — — Equidem fateor mihi parum probabile videri, hominem, cochleas per otium legentem, ad ſummum prope montis, qui „in immenſum editus“ fuiſſe ſupra dictus eſt, tam facili negotio pervenire potuiſſe.

quo i. e. ad quam altitudinem — *cuncta gignentium*, omnes plantas, omnia genita natura evehit.

perſcribit ſc. in mente, h. e. perdiſcit, obſervat. Sic Virg. „*perlegere oculis*;“ Valer. Max. „*mandare oculis*;“ Horat. „*percurrere animo polum*.“

„*intenti praeliantibus aderant*“ oculos animumque in adverſam proeliantibus partem intenderant.

ditur, non temere, uti escenderat, sed tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit; acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum tentet: pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure, promissa cognitum, ex praesentibus misit: quorum uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nunciavere. Consulis animus tamen paullum arrectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum, numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quatuor centuriones: omnis Liguri parere jubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

CAPVT XCIV.

Sed ubi ex praecepto tempus visum, paratis compositisque omnibus ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis praeerant, praedocti ab

promissa cognitum, ut promissorum veritas exploraretur; ut viderent, quatenus pollicenti fides habenda sit.

uti cujusque ingenium erat, prout vel suis viribus confidebat, vel ob animi infirmitatem rem tam difficilem peragi posse desperabat.

tubicinum et cornicinum. Tubam directam, cornu incurvum fuisse, ad figuram bubuli cornu, docet Ovid. I. Metam. v. 98.

„Non tuba directi, non aeris cornua flexi.

Conf. Varro IV. de Ling. Lat. Ceterum tuba non in bello tantum, sed etiam in conviviis, ludis et funeribus utebantur.

Cap. XCIV. *ex praecepto* sc. imperatoris.

paratis compositisque omnibus supplend. *rebus*, non *homini-*

duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret: super terga gladii et scuta; verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul, et offensa quo levius streperent. Igitur praegrediens Ligus saxa, et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus adlevati facilius escenderent. Interdum timidos insolentia itineris levare manu: ubi paullo asperior adscensus, singulos prae se inermos mittere; deinde ipse cum illorum armis sequi: quae dubia nisu videbantur potissumus tentare, ac saepius eadem adscendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte: quod omnes, sicuti aliis diebus, advorsum hostis aderant. Marius,

bus — nachdem alle nöthigen Voranstalten getroffen waren.

pedibus nudis. Non ocreis indutos fuisse, sed soleas tantum gestasse, quo expeditiores in montem escenderent, mihi quidem verisimile est. Vix enim mihi persuadeo, facilioremfuisse nudis pedibus nisum.

Nisus — das Hinanklimmen.

ponderis gratia simul et etc. quo et leviora essent, et etc. Nam *levioris* supplendum est.

insolentia itineris, aus Unkunde des Weges.

dubia nisu — bedenklich zu erklimmen.

potissumus — h. e. ipse primus omnium, et summa vi adnitens. Vsitatius esset: potissimum.

dein statim digrediens — Locus difficilis, qui forsan ita exponendus est: Ligus postquam eadem, qua praegressus erat, via reversus comitibus animum auxerat, statim tramitem ulterius persequebatur; ut *digredi* nihil aliud sit, quam progredi, illosque relinquere.

ubi ex nunciis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos praelio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidae saepe antea vineis Romanorum subvorsis, item incensis, non castelli moenibus sese tutabantur; sed pro muro dies noctesque agitare: maledicere Romanis ac Mario vecordiam objectare; militibus nostris Iugurthae servitium minari; secundis rebus feroces esse. Interim omnibus Romanis hostibusque praelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere: ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere, ac

toto die intentos praelio Numidas habuerat — i. e. omni studio fecerat, ut sibi intenti essent, quo facilius, dum illi adversus se pugnarent, Ligus et socii in montem escenderent.

pro muro — ante murum; extra castelli moenia.

Mi. vecordiam objectare, utpote qui tam firmum castellum temere obsideret.

Iugurthae servitium — servitutem apud Iugurtham. Nam *servitium* pro *servitatis jugo* supra etiam dixit Cap. LXII.

secundis rebus — sua ipsorum fortuna.

qui visum processerant h. e. qui proelium suorum cum Mario videre cupientes e moenibus castelli processerant.

plerosque tantummodo ſauciare, dein ſuper occiſorum corpora vadere, avidi gloriae certantes murum petere, neque quemquam omnium praeda morari. Sic forte correcta Marii temeritas, gloriam ex culpa invenit.

CAPVT XCV.

[Interim L. Sulla cum equitatu in caſtra venit, cujus viri ingenium moresque paucis delineantur.]

Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla Quaeſtor cum magno equitatu in caſtra venit: quos uti ex Latio et a ſociis cogeret, Romae relictus erat. Sed quoniam tanti viri res admonuit; idoneum viſum eſt, de natura cultuque ejus paucis dicere. Neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi ſumus: et L. Siſenna optume et diligentiſſume omnium, qui eas res dixere, perſecutus, parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sulla

ac pl. tant. ſauciare, quoniam territi illi nimis celeriter fugam capeſſebant, quam ut trucidari poſſent.

praeda h. l. non eſt caſus ſextus, ſed Nominat., ad infinit. hiſt. *morari* pertinens.

forte — fortuito caſu.

Cap. XCV. *cogeret* — conſcriberet. De Sulla, Marii quaeſtore, vid. Vellej. II. 12.

Sed quoniam t. v. r. admonuit. Eadem fere via in exordio belli Catil. procedit oratio. Ibi enim: „quoniam, inquit, de moribus civitatis tempus admonuit etc.“ Obſervent autem juvenes, pronomen perſonale plerumque omitti.

de natura cultuque etc. Bene Höckius vertit: ſeinen Character, ſo wie ihn Natur und Kunſt gebildet hatten.

L. Siſenna, qui de bello Marſico, et bello civili Sullano ſcripſit, quorum operum fragmenta ſuperſunt.

gentis patriciae, familia prope jam exſtincta majorum ignavia, litteris Graecis atque Latinis juxta atque doctiſſume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, ſed gloriae cupidior: otio luxurioſo; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, niſi quod de uxore potuit honeſtius

gentis patriciae — nempe *Corneliae*, quam ſupra in b. Cat. C. LV. clariſſumam vocat. „Ceterum *gens* recte a *familia* diſtinguitur; illa ad *Nomen*, haec ad *Cognomen* pertinet. Itaque familia poteſt ex aliqua gente, non autem gens ex familia ortum ducere. Sic apud Suetonium Iul. C. 6. „Cujus gentis familia eſt noſtra.“

familia prope j. exſtincta ſc. ſi ad *gloriam* ſpectes, quod ex adjectis verbis „*majorum ignavia*“ colligi poteſt.

Graecis atque Latinis juxta — Graecis *aeque* ac Latinis. Sic ſupra in exord. belli Catil.: „Eorum ego vitam mortemque juxta aeſtumo.“ — Adjicit autem conſulto: *atque doctiſſume*, ne quis legentium ſuſpicetur: Sullam aeque Latinarum ac Graecarum literarum imperitum fuiſſe.

otio luxurioſo. Nolint miari juvenes, otium h. l. luxurioſum dici, cum homines ipſi plerumque in otio luxurioſi dicantur. Nam hominum virtutes aeque ac vitia, omnisque eorum conditio, ſaepe in Caſu ſexto, brevitatis gratia, praemiſſo eorum nomini adjiciuntur; e. c. „Homines maximi nominis, non minus *optimis majorum exemplis*“ — quamvis majorum exempla hominum qualitatibus adnumerari non poſſint. — Eſt autem otium luxurioſum ejusmodi otium, in quo quis liberalius ſibi indulget. Cfr. de Sullae luxuria Cat. Cap. XI, ubi dicit: „L. Sulla exercitum — — contra morem majorum luxurioſe nimisque liberaliter habuerat.“

niſi — — conſuli h. e. tamen, ſi ad uxorem ſpectes, famae ſuae melius conſulere potuiſſet. Credat igitur lector, Sullam uxorem infamia notatam in matrimonium duxiſſe. Sed Plutarchus in vita ejus narrat, Sullam, etſi uxorem domi habuerit, tamen cum mulieribus mimis, citharistriis et thymelicis rem habuiſſe. Idemque refert, illum, ſenem jam, nimis blandientem in theatro Valeriam uxorem duxiſſe. Igitur ad utrumque reſpexiſſe videtur Noſter, quem Plutarchus interpretatus eſt, ita tamen, ut ex aliis fontibus hauſta nonnulla adjiceret.

consuli: facundus, callidus, et amicitia facilis: ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxume pecuniae largitor. Atque feliciſſumo omnium ante civilem victoriam, numquam ſuper induſtriam fortuna fuit: multique dubitavere, fortior, an felicior eſſet. Nam poſtea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat diſſerere.

CAPVT XCVI.

[Sulla brevi tempore vigilantia, labore, comitate, conſilio, juſtitia — Conſulis ac militum favorem ſibi conciliat.]

Igitur Sulla, ut ſupra dictum, poſtquam in Africam atque in caſtra Marii cum equitatu venit, rudis antea et ignarus belli, ſolertiſſumus omnium in paucis tempeſtatibus factus eſt. Ad

amicitia facilis, ad amicitiam propenſus — leicht zu gewinnen. Idem quod alias: aditu facilis. Eſt autem amicitia Caſus ſextus.

altitudo ingenii — βάθος διανοίας. — βαθύτης, profunditas ingenii tribuitur illis, quorum conſilia nemo facile detegit, qui ſumma arte celant animi propoſita.

feliciſſumo — quamquam fuiſſet feliciſſumus —

numquam ſuper induſtriam fortuna fuit, numquam tamen non meruerat fortunae dona labore induſtriaque.

Nam – diſſerere. Induſtriam viri, multasque ejus virtutes tantopere admiratur Noſter, ut ſeriora ejusdem facta crudelia, quorum mentione priorum laudem obſcuratum iri praevidet, vel reverentia vel indignatione ductus, memorare nolit.

Cap. XCVI. *Igitur* etc. Hac particula, centies occurrente, rem tractatam reſumit.

in paucis tempeſtatibus — brevi temporis ſpatio. Particu-

hoc milites benigne adpellare; multis rogantibus, aliis per ſe ipſe dare beneficia, invitus accipere: ſed ea properantius, quam aes mutuum reddere; ipſe ab nullo repetere: magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent: ioca atque ſeria cum humillumis agere: in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adeſſe: neque interim, quod prava ambitio ſolet, Conſulis, aut cujusquam boni famam laedere: tantummodo neque conſilio, neque manu priorem alium pati; plerosque antevenire. Quis rebus brevi Mario militibusque cariſſumus factus.

CAPVT XCVII.

[Iugurtha Bocchi auxilium implorat; quem cunctantem dubitantemque quum praemio promiſſo illexiſſet, uterque, exercitu conjuncto, ſub veſperam Marium catervatim, et latronum inſtar, invadunt.]

At Iugurtha, poſtquam oppidum Capſam aliosque locos munitos et ſibi utilis ſimul, et magnam pecuniam amiſerat, ad Bocchum nuncios

lam *in*, quam plerique Codd. ſervant, legimus etiam in Cat. Cap. XLVIII. „in tali tempore.“ Nolint igitur tirones autumare, eam eſſe rejiciendam.

rogantibus — auf ihre Bitte — *per ſe* — i. q. ultro, ſponte ſua.

repetere ſc. tamquam debitum. Vid. ſup. Cap. LXXXV. omnes honores non ex merito, ſed quaſi debitos a vobis repetit.

in operibus — in munitione caſtrorum et reliquis belli laboribus.

multus — ſaepe adeſſe.

mittit, *quam primum in Numidiam copiis adduceret; praelii faciundi tempus adesse.* Quem ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere: rursus, uti antea, proxumos donis corrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. Eo praemio illectus Bocchus, cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu conjuncto, Marium jam in hiberna proficiscentem, vix decima parte die reliqua, invadunt: rati noctem, quae jam aderat, victis sibi munimento fore; et, si viciſſent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant: contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem. Igitur simul Consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant, et priusquam

Cap. XCVII. *dubium belli a. p. r. t.* h. e. dubitantem, bellumne continuaret, an pacem peteret. Nam *rationes trahere* est: deliberare, haesitare — rationes inter cunctandum ponderare.

proxumos — Bocchi amicos, ministros.

integris suis finibus — ita, ut nullam imperii sui provinciam amitteret.

die — diei — Genit. antiquus.

victis — si forte victi essent.

nullo pro: nulli. Sic et Terent. Andr. A. III. Sc. V. 2. Quandoquidem tam iners, tam *nulli* consilii sum — pro: nullius.

utrumque casum — sive vincerent Numidae, seu vincerentur.

simul — simulac. Hostium celeriter irruentium repentinum tumultum describit aptissime vocibus: *simul* — *et*, ita

exercitus aut inſtrui, aut ſarcinas colligere, denique antequam ſignum, aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli, non acie, neque ullo more praelii, ſed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in noſtros concurrunt. Qui omnes trepidi improviſo metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientis alios ab hoſtibus defenſabant: pars equos eſcendere, obviam ire hoſtibus: pugna latrocinio magis, quam praelio ſimilis fieri: ſine ſignis, ſine ordinibus equites, pedites permixti; caedere alios, alios obtruncare, multos, contra advorſos acerrume pugnantis, ab tergo circumvenire: neque virtus, neque arma ſatis tegere; quod hoſtes numero plures et undique circumfuſi. Denique Romani veterés, novique, et ob ea ſcientes belli, ſi quos locus, aut caſus conjunxerat, orbes facere: atque ita ab omnibus partibus ſimul tecti et inſtructi hoſtium vim ſuſtentabant.

ut nuntio vix audito hoſtes adfuiſſe videas.

ſignum. — Si de aquila, vexillis aut ſimilibus, quae, cum inſtrueretur exercitus, militi tradebantur, capiendum eſſet, repetiiſſet Salluſtius ſemel jam dicta. Igitur aut *ſignum tuba datum*, aut noſtrum: *Parole*, intellige. Quod autem noſtratibus *Parole*, id Romanis eſt *ſignum* aut *ſymbolum*, aut *teſſera*.

ſine ſignis, ſine ordinibus, hoc loco vexilla intelligenda ſunt.

et ob ea ſcientes belli. Mihi quidem cum aliis valde ſuſpectus videtur locus, quamvis Cortius retinendum ducat eundem, et interpretetur: „*ob id*, quod conjungerentur veteribus, facile morem militiae

CAPVT XCVIII.

[*Summa Capitum XCVIII et XCIX.* Marius autem alacri animo ad finem usque diei ſuis ſuccurrere, hoſtem invadere pergit; poſtremo ſub noctem duos colles occupat, regesque a proelio deterret. Hi, collibus multitudine circumdatis, per totam noctem, quaſi jam parta eſſet victoria, in conſpectu Conſulis (nam ignes erant facti) immodice laetantur. Marius quietem ſimulat; orto autem diluculo magno clamore portis erumpere ſuos jubet, hoſtesque nimis ſecuros, ac ſomno oppreſſos fundit fugatque.]

Neque in eo tam aſpero negotio territus Marius, aut magis, quam antea, demiſſo animo fuit; ſed cum turma ſua, quam ex fortiſſumis magis, quam familiariſſumis, paraverat, vagari paſſim; ac modo laborantibus ſuis ſuccurrere, modo hoſtis, ubi conſertiſſumi obſtiterant, invadere: manu conſulere militibus, quoniam impe-

diſcebant." Ego contra belli ſcientiam paulo difficiliorem eſſe arbitror, quam ut in repentino militum novorum cum veteribus concurſu addiſci queat.

Cap. XCVIII. *Neque — territus M., aut magis — — demiſſo animo.* Attendant juvenes ad conſtructionis varietatem. Nam Germanus forſan ſcripſiſſet: neque *territo — neque* magis demiſſo etc.

quam — — familiariſſumis. Si quid ſentio pulchri, non admodum numeroſa ſunt haec verba, quum particulae *quam* et *magis* in primo periodi membro anteceſſerint.

laborantibus ſuis. Laborant milites, quum non multum abeſt, ut fugam capeſſant. Laborare eſt noſtrum: im Gedränge ſeyn.

manu conſulere militibus, quoniam imperare *conturbatis omnibus non poterat.* Nonnulli interpretes ita intelligunt hunc locum, ut *manu conſulere* ſit: *nutum* manibus *dare*, *imperare* autem: *clara voce*, quid faciendum ſit, praecipere. Cortius ineptam vocat hanc interpretationem, cum τὸ *conſulere*

rare, conturbatis omnibus non poterat. Iamque dies conſumtus erat, cum tamen barbari nihil remittere; atque, uti reges praeceperant, noctem pro ſe rati, acrius inſtare. Tum Marius ex copia rerum conſilium trahit, atque, uti ſuis receptui locus eſſet, collis duos propinquos inter ſe occupat. Quorum in uno, caſtris parum amplo, fons aquae magnus erat: alter uſui opportunus, quia magna parte editus et praeceps pauca munimento quaerebat. Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare jubet. Ipſe paullatim diſperſos milites, neque minus hoſtibus conturbatis, in unum contrahit: dein cun-

nequeat ſimpliciter opponi τῷ imperare, et manifeſtum eſſe dicit, Marium virtute, auxilio ſuo ſuaeque turmae conſuluiſſe militibus. Vtrumque autem ferri poſſe, et ambiguitas quaedam huic loco ineſſe videtur. Nam ſignificatio verbi *conſulere* latius patet, quam notio verbi imperare.

noctem pro ſe rati i. e. ſibi commodam fore.

ex copia rerum nach Beſchaffenheit der Umſtände; nach der Lage der Dinge. Hoc enim loco vox *copia* facultatem, opportunitatem, quae ſeſe offert, denotat; ſicut etiam in Cat. Cap. VIII. ubi legimus: At populo Romano numquam ea copia fuit. Igitur antiquum verbum, inde natum: *copiari*, idem ſignificat, inquit doct. Cortius, quod *nanciſci, potiri.*

Caſtris parum amplo i. e. ad caſtra capienda non ſatis amplo.

uſui opportunus, zu dieſem Zwecke (caſtris faciendis) brauchbar.

quaerebat — h. e. egebat, requirebat. Nam *quaerere* interdum dicitur pro: *deſiderare.* Cujus ſignificationis exemplum habemus in verſu illo, quem Cort. citavit ad Cap. LXXXV. „Tunc di quoque magnos quaeſivere deos.“

neque minus hoſtibus conturbatis — quum interim eodem tempore hoſtes eſſent conturbati.

ctos pleno gradu in collem ſubducit. Ita reges, loci difficultate coacti, praelio deterrentur. Neque tamen ſuos longius abire ſinunt, ſed, utroque colle multitudine circumdato, effuſi conſedere. Dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari ſuo more laetari, exſultare, ſtrepere vocibus: ipſi duces feroces, quia non fugerent, pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia viſu magnoque hortamento erant.

CAPVT XCIX.

Plurimum vero Marius imperitia hoſtium confirmatus, quam maxumum ſilentium haberi jubet: ne ſigna quidem, uti per vigilias ſolebant, canere: deinde, ubi lux adventabat, defeſſis jam hoſtibus et paullo ante ſomno captis, de improviſo vigiles, item cohortium, turmarum, leſtium, igne collucentia, viderent.

pleno gradu. Eadem dictio eſt apud Livium IV. 32. et in quibusdam aliis veterum locis. Noſtrum; *in vollem Marſche* — mit beſchleunigtem Schritte.

plerumque noctis — plurimam noctis partem.

pro victoribus, tamquam eſſent victores.

ex tenebris etc. Nempe dum e colle tenebroſo caſtra hoſtium, igne collucentia, viderent.

Cap. XCIX. *imperitia hoſtium.* Illi enim, quum quieſcere debuiſſent, imprudenter ſemet ipſi fatigabant.

ne ſigna quidem, uti per vigilias. Finita nempe una vigilia, buccinae aut tubae ſonitu alius miles, qui ſuccederet, excitabatur. Cfr. Tacit. V. Hiſt. Cap. 22.

gionum tubicines ſimul omnis ſigna canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere. Mauri atque Gaetuli ignoto et horribili ſonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quidquam poterant. Ita cunctos ſtrepitu, clamore, nullo ſubveniente, noſtris inſtantibus, tumultu, terrore, formido, quaſi vecordia, ceperat. Denique omnes fuſi fugatique. Arma et ſigna militaria pleraque capta: pluresque eo praelio, quam omnibus ſuperioribus interemti. Nam ſomno et metu inſolito impedita fuga.

CAPVT C.

[Fugatis tandem hoſtibus Conſul in hiberna tendit, in eoque itinere tam prudenter copias disponit, ut ad excipiendum hoſtilem impetum ſemper eſſet paratus.]

Dein Marius, uti coeperat, in hiberna: quae, propter commeatum, in oppidis maritumis agere decreverat. Neque tamen ſecors victoria, aut inſolens factus; ſed pariter ac in conſpectu hoſtium, quadrato agmine incedere. Sulla cum

Cap. C. *in hiberna* ſuppl. proficiſcitur, abit, tendit, quae verba ab optimis ſcriptoribus ſaepe reticentur. Plura hujuscemodi ellipſeos exempla attulit Cortius ex immenſa, qua gaudet, eruditionis copia.

quadrato agmine „quod tum inſtituebatur, quum in regione infeſta, aut adverſus hoſtem ducerent.“ Sic enim undique tuti ſibi videbantur.

equitatu apud dextumos, in ſiniſtra A. Manlius cum funditoribus et ſagittariis, praeterea cohortes Ligurum curabat; primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugae, minume cari et regionum ſcientiſſumi, hoſtium iter explorabant: ſimul Conſul, quaſi nullo impoſito, omnia providere: apud omnes adeſſe: laudare, increpare merentis. Ipſe armatus intentusque, item milites cogebat: neque ſecus, atque iter facere, caſtra munire, excubitum in portas cohortis ex legionibus, pro caſtris equites

dextumos. Haec vox non alias occurrit. Schellerus eam pro ſuperlativo *rg̃* dexter habet.

Curabat — praeerat iis, dux erat. Nam qui aut militibus praepoſiti ſunt, aut praefecri adminiſtrantibus, e. g. legati, tribuni, praefecti — hi omnes *curare* dicuntur apud Noſtrum.

minume cari, et regionum ſcientiſſumi — h. e. non ſolum quia vita perfugarum minoris, quam civium, aeſtimabatur, periculoſum hoc negotium minore damno iis demandari poterat, ſed etiam, quod regionum illi erant ſcientiſſumi, tutius iter faciebat omnis exercitus.

quaſi nullo impoſito — h. e. quaſi nullum militibus ducem *praepoſuiſſet, praefeciſſet.* Vid. Cat. Cap. LI, Lacedaemonii, devictis Athenienſibus, triginta viros *impoſuere.* Cfr. Tacit. VI. Ann. Cap. XI.

merentis — ad utrumque verbum anteced. referendum. Senſus: ut quisque vel culpam vel laudem meruerat.

Ipſe armatus intentusque ſc. erat, *item milites cogebat* ſc. eſſe armatos atque intentos. Nam quod ipſe, tamquam perfecti militis exemplar, fecerat, idem jure ſuo reliquos etiam facere cogebat. Cfr. Cat. Cap. XXVII. „*ipſe* cum telo eſſe, *item* alios jubere.“

neque ſecus, atque iter facere, caſtra munire: eadem cura, qua iter faciebat, etiam caſtra muniebat. Sic recte ſententiam h. l. explanat Cortius, obſervans ſimul: „particulam *atque*, etiam ubi pro *quam* poſita ſit, eadem tempora, eosdem caſus etc. jungere.

auxiliarios mittere. Praeterea alios ſuper vallum in munimentis locare, vigilias ipſe circumire, non diffidentia futuri, quae imperaviſſet, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus eſſet. Et ſane Marius illo et aliis temporibus belli pudore magis, quam malo, exercitum coercebat: quod multi per ambitionem fieri ajebant; pars quod a pueritia conſuetam duritiam, et alia, quae ceteri miſerias vocant, voluptati habuiſſet. Niſi tamen res publica *alios* ſc. vigiles, aut cuſtodes. *quae* ego illos ſcio feciſſe. Reliqua praetereo.

non diffidentia futuri, quae imperaviſſet, h. e. non propterea, quod diffideret militibus, metueretque, ne morem ſibi non gererent. Sententia verborum intellectu haud admodum difficilis eſt. Verum credat lector, ſcribentis culpa aut τὸ *futuri* in *futurorum*, aut *quae* in *quod* mutatum eſſe. Hinc nonnulli, quos indignabundus Cortius grammaticellos vocat, *futurorum* reponi juſſerunt. Sed doctiſſ. ille interpres laudat Perizonii expoſitionem ad Sanct. Il. Min. Cap. 9: „non diffidentia futuri *negotii eorum*, quae imperaviſſet — pluresque partim ab illo citatos, partim a ſe repertos verum locos adducit, quibus hujuscemodi verborum ordo probetur; v. c. Cic. XVI. piſt. XXVII. „*incredibile* eſt,

exaequatus cum imperatore labos — i. e. labos, cujus partem imperator aeque ac miles ſuſciperet.

militibus — — — volentibus eſſet, milites lubentes volentesque laborem perferrent. — Notum dicendi genus, ſupra etiam Cap. LXXXIV. obvium.

malo — poenis.

a pueritia conſuetam duritiam — de qua legend. Cap. LXIII et LXXXV.

Niſi tamen. Hujus particularum conjunctionis ſenſum acute explicuit Cort. ad Cap. XXIV. Idem proprie ſignificant, quod: Si non, tamen. Hoc eſt: Sive per ambitionem, ſive quod voluptati haberet duritiam et laborem, fecerit: tamen eventus, quem habuit viri imperium, nobis ſufficit. Noſtrum: Genug daſs die Angele-

pariter, ac ſaeviſſumo imperio, bene atque decore geſta.

CAPVT CI.

[Haud procul ab urbe Cirta ſubito iterum hoſtes adparent. Fit proelium adverſus Iugurtham ſimul et Bocchum. Romani fortiter reſiſtunt, et, quamvis territi aliquantisper Numidae dolo, cruentum gladium oſtentantis, quo Marium ſe interfeciſſe gloriabatur, ad poſtremum tamen undique hoſtes proſternunt.]

Igitur quarto denique die, haud longe ab oppido Cirta undique ſimul ſpeculatores citi ſeſe oſtendunt: qua re hoſtis adeſſe intellegitur. Sed quia divorſi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem ſignificabant; Conſul incertus, quonam modo aciem inſtrueret, nullo ordine commutato, advorſum omnia paratus, ibidem opperitur. Ita Iugurtham ſpes fruſtrata, qui copias in quatuor partis distribuerat: ratus ex om-

genheit des Staates mit eben ſo gutem Erfolge, und eben der Würde verwaltet iſt, als wenn er das ſtrengſte Commando geführt hätte.

Cap. CI. *ſpeculatores citi ſeſe oſtendunt*, illi nempe, qui a Romanis praemiſſi erant, ut hoſtium iter explorarent, celerrime advolant.

Qua re — quorum adventu et properantia.

divorſi — alius ab alia parte; haec enim verba ſtatim addita, et pleonasmo ſimilia, pro gloſſatoris additamento habita ſunt. Sed ejusmodi ſermonis abundantia non ſemel occurrit in ſcriptis Salluſtii.

advorſum omnia — adv. omnes hoſtium impetus, ita ut quadrato agmine undique irruentes excipere poſſet.

nibus aeque aliquos ab tergo hoſtibus venturos. Interim Sulla, quem primum adtigerant, cohortatus ſuos, turmatim et quam maxume confertis equis ipſe aliique Mauros invadunt: ceteri in loco manentes ab jaculis eminus emiſſis corpora tegere, et, ſi qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites praeliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius ejus adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant, poſtremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit: ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: *noſtros fruſtra pugnare; paullo ante Marium ſua manu interfectum;* ſimul gladium ſanguine oblitum

aeque al. ab tergo. Cortius verba: *aeque ab tergo* conjungit, et germanice reddit: gerade von hinten zu. Et quamvis Vir doctiſſimus ſolita exemplorum copia confirmare nequit illum particulae ſenſum, tamen reliquorum interpretum emendationibus hanc ejus interpretationem longe praefero rendam cenſeo. Nam optime congruit cum Iugurthae conſilio.

ipſe aliique. Supervacanea verba et ab interprete forſan, qui parum ad antecedentia: *cohortatus ſuos*, attendiſſe videtur, adjecta.

in itinere morati — propterea quod i. i. morati erant.

apud primos agebat, in primis ordinibus pugnabat. Nam *agere* et *agitare* ſaepius pro *eſſe*, *verſari*, *commorari* occurrit. Et alacritatis ſimul notio illis verbis ſubeſſe videtur.

oſtendere, quem in pugna, ſatis impigre occiſo pedite noſtro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuncii terrentur: ſimulque barbari animos tollere et in perculſos acrius incedere. Iamque paullum ab fuga aberant, cum Sulla, profligatis, quos advorſum ierat, Mauris ab latere incurrit. Bocchus ſtatim advortitur. At Iugurtha, dum ſuſtentare ſuos et prope jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, ſiniſtra omnibus occiſis, ſolus inter tela hoſtium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis equitibus, occurrit auxilio ſuis, quos pelli jam acceperat. Denique hoſtes undique fuſi. Tum ſpectaculum horribile campis patentibus ſequi, fugere; occidi, capi; equi, viri adflicti: ac multi, volneribus acceptis, neque fugere poſſe, neque quietem pati; niti modo, ac ſtatim concidere: poſtremo omnia, qua viſus erat, con-

ſatis impigre — i. e. fortiter atque celeriter, ita ut ab Romanis illa militis caedes non animadverteretur.

atrocitate rei, ipſa caedis cogitatione, quam ſine terrore ne repraeſentare quidem animo poterant.

quam fide nuncii, quam quod fidem haberent regi caedem nuntianti.

aberant, int. noſtri.

vitabundus. h. e. anxie diligenterque vitans, cum telis undique peteretur.

niti modo — ſurgere atque, ſi poſſent, reſiſtere tentabant.

qua viſus erat — quocunque oculus ſe convertere poterat.

ſtrata telis, armis, cadaveribus; et inter ea humus infecta ſanguine.

CAPVT CII.

[Marius, Cirtam victor ingreſſus, et a Bocchi legatis rogatus, ut duo quam fidiſſimos ad regem mitteret, Sullam et Manlium ablegat. Verbis a Sulla placide factis Bocchus benigne reſpondet. Sed paulo poſt vir infidus iterum amicis, a Iugurtha corruptis, aurem praebet.]

Poſtea loci Conſul, haud dubie jam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo poſt diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Bocchо veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, *duo quam fidiſſumos ad eum mitteret; velle de ſe, et de populi Romani commodo cum is diſſerere.* Ille ſtatim L. Sullam et C. Manlium ire jubet. Qui quamquam acciti ibant: tamen placuit verba apud regem facere: ingenium aut avorſum uti flecterent; aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cujus fa-

Cap. CII. *Poſtea loci* — nihil aliud, quam *poſtea*. Sic et: *ubique gentium, locorum, terrarum; tunc temporis.*

quo initio profectus intenderat — proficiſci, antequam hoſtes eum denuo ingrederentur, ſtatuerat, inceperat.

regis verbis, im Namen des Königs.

acciti — regis juſſu, invitati a rege.

ingenium avorſum ſc. a pacis conſiliis — Abneigung vom Frieden.

cundiae, non aetati a Manlio conceſſum, pauca verba hujuscemodi locutus.

Rex Bocche, magna nobis laetitia, cum te talem virum di monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optumum cum peſſumo omnium Iugurtha miſcendo commaculares; ſimul nobis demeres acerbam neceſſitudinem, pariter te errantem et illum ſceleratiſſumum perſequi. Ad hoc populo Romano jam inopi viſum, amicos, quam ſervos quaerere: tutius rati, volentibus, quam coactis imperitare. Tibi vero nulla opportunior noſtra amicitia: primum, quod procul abſumus, in quo offenſae minimum, gratia par, ac ſi prope adeſſemus; dein quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium ſatis. Atque hoc utinam a principio tibi placuiſſet! profecto ex populo Romano multo plura bona accepiſſes, quam mala perpeſſus eſſes. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit; cui

cujus facundiae conceſſum — i. e. qui etſi aetate minor, facundior tamen erat Manlio.

optumum cum peſſumo — *te errantem et illum ſceleratiſſimum.* Vide, quantam lenitatem aſtutiamque adhibeat Sulla!

„*populo Romano jam inopi*“ jam tum, quum inops eſſet, „*viſum*,“ placuit, „*amicos*“ int. potius, *quam ſervos* quaerere.

parentes — populos imperio ſubjectos.

ſcilicet placuiſſe et vim, et gratiam noſtram experiri: nunc, quando per illam licet, feſtina, atque, ut coepiſti, perge. Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis ſuperes. Poſtremo hoc in pectus tuum demitte, numquam populum Romanum beneficiis victum. Nam bello quid valeat, tute ſcis.

Ad ea Bocchus placide et benigne; ſimul pauca pro delicto verba facit: *ſe non hoſtili animo, ſed regnum tutatum arma cepiſſe: nam Numidiae partem, unde vi Iugurtham expulerat, jure belli ſuam factam, eam va-*

cui ſcilicet placuiſſe. Ne quis infinitivum miretur, meminerint legentes τὸ ſcilicet idem eſſe, quod *ſcias licet*, ſeu *patet enim*. Admodum leniter Sulla fortunam accuſat, qua velut coactus rex vim Romanorum expertus ſit.

quo facilius errata officiis ſuperes — ut plura nobis officia praeſtes, quam mala nobis, errore ductus, intuliſti.

Nam bello quid valeat, tute ſcis. Nam eadem arma, quorum vim tu jam hoſtis expertus es, ad te defendendum capiet. — Sic vir callidiſſimus iisdem verbis, quibus minari voluiſſe videatur, ſpem excitabat jucundiſſimam. — Similimus locus legitur apud Horat. IV. Od. XIV. v. 7. „Quem legis expertes Latinae — Vindelici didicere nuper — *quid Marte poſſes.*

pro delicto ſuo — delicti ſui excuſandi gratia.

unde vi I. expulerat ſuppl. Marius. Germanus forſan ſcripſiſſet: unde Marius vi Iugurtham expulerit. — Sed non eodem ſemper loco, quo nobis requiri videtur, a ſcriptoribus Latinis etiam Conjunctivum poni ſolere — alibi demonſtravimus. — Bocchus illam Numidiae partem, quam nunc Marius tenebat, ſibi promiſſam eſſe a Iugurtha ſimulat. E ſuperioribus tamen ſatis con-

ſtari ab Mario pati nequiviſſe: praeterea miſſis antea Romam legatis, repulſum ab amicitia. Ceterum vetera omittere, ac tum, ſi per Marium liceret, legatos ad Senatum miſſurum. Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legatione Sullae et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

CAPVT CIII.

[Attamen Bocchus, mutato conſilio, quinque viros, ex familiariſſimis ſuis delectos, ad Marium, qui, locato in hibernis exercitu, caſtellum Iugurthae obſidebat, belli componendi gratia mittit, qui, cum Conſulem in hibernis eſſe putarent, ad Sullam proficiſcuntur, ibique quadraginta circiter dies, benigne ac liberaliter habiti, commorantur.]

Marius interea, exercitu in hibernis compoſito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiſcitur in loca ſola, obſeſſum turrim regiam,

ſtat, tertiam Numidiae partem hac conditione: ſi Romani Africa expulſi, aut integris ſuis finibus bellum compoſitum foret — Boccho promiſſam eſſe. — Sed illa benignior foederis interpretatio ſatis apta erat, acuteque inventa ad excuſationem.

miſſis — amicitia — ſe, cum antea legatos, amicitiae petendae gratia, Romam miſſiſſet, tuliſſe repulſam.

vetera omittere, non amplius recordari velle, quae olim facta ſint.

copia facta, data legatos mittendi permiſſione.

quo Iugurtha perfugas omnis praesidium impo-
fuerat. Tum rursus Bocchus, seu reputando,
quae sibi duobus praeliis venerant, seu admoni-
tus ab amicis, quos incorruptos Iugurtha reli-
querat, ex omni copia necessariorum quinque
delegit, quorum et fides cognita, et ingenia va-
lidissuma erant. Eos ad Marium, ac dein, si
placeat, Romam legatos ire jubet: agendarum
rerum, et quocumque modo belli componendi
licentiam permittit. Illi mature ad hiberna Ro-
manorum proficiscuntur: deinde itinere a Gae-
tulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi,
sine decore ad Sullam perfugiunt; quem Consul
in expeditionem proficiscens pro Praetore reli-
querat. Eos ille non pro vanis hostibus, ut me-
riti erant, sed adcurate ac liberaliter habuit.
certiores facti erant, esse pu-
tabant.

sine decore — habitu tristi.

non pro vanis hostibus, ut meriti erant, i. e. non ita, ut par erat, tamquam mendaces, infidosque hostes. Sulla igitur de Bocchi inconstantia nuntium accepisse videtur. Alias enim ejusdem regis, quocum ipse paulo antea placide collocutus erat, legatos benigne excipere *debuisset*.

adcurate habuit: omni *cura* et studio tractavit.

CAP. CIII. *perfugas omnis pr. imp.* Non sine consilio. Sperabat enim, fore, ut perfugae, supplicia timentes, si turris expugnaretur, eam fortissime defenderent.

venerant — evenerant; ut supra Cap. VIII: „si permanere vellet in suis artibus, ultro *illi* et gloriam et regnum *venturum*.

ex omni copia nec. — ex omni familiarium numero.

mature — — statim, sine mora.

hiberna Rom. ubi nempe Marium, de cujus abitu nondum

Qua re barbari et famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam, ob munificentiam in sese, amicum rati. Nam etiam tum largitio multis ignara: munificus nemo putabatur, nisi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur. Igitur Quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit: copias, fidem, magnitudinem regis sui, et alia, quae aut utilia, aut benevolentiae credebant orationne extollunt: dein Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud Senatum verba facerent, circiter dies XXXX. ibidem opperiuntur.

CAPVT CIV.

[Marius interim, infecto negotio reversus, auditis, praesente Sulla, Bocchi mandatis, Romam proficiscendi potestatem Numidis concedit, quorum tres, comitante Rufo, ad Senatum abeunt, deprecatique regis scelus veniam impetrant.]

Largitio, simulata illa beneficentia, qua corrumpere alios et in suas partes trahere studebant plerique optimates. Munificentia, quae non ab animo benevolo proficiscitur, quod statim ipse indicat.

aut benevolentiae credebant — ad benevolentiam captandam idonea. Eadem verborum structura C. LXXXVIII. usus est: „*Quae* postquam *gloriosa* modo, neque *belli patrandi* cognovit.

Sulla omnia pollicito — postquam Sulla *omnia*, sc. quae ad confirmandum animum spemque pacis augendam pertinerent, pollicitus erat.

Marius poſtquam infecto, quo intenderat, negotio Cirtam redit; de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam venire jubet, item L. Bellienum Praetorem Vtica, praeterea omnis undique Senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoſcit. Legatis poteſtas eundi Romam fit ab Conſule: interea induciae poſtulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, ſcilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae et mobiles ſemper in advorſa mutant. Ceterum Mauri, impetratis omnibus rebus, tres Romam profecti cum Cn. Octavio Rufo, qui Quaeſtor ſtipendium in Africam por-

Cap. CIV. *quo intenderat* — i. e. cujus perficiendi cauſa, ſive, ad quod perficiendum profectus erat. Negotium enim illud tamquam ſcopus ei propoſitus fuerat. Itaque non ſimpliciter *quo* pro *quod* dictum putarem. Sed uti recte dicimus: *aliquo proficiſci*, ita etiam *aliquo* (negotio) i. e. *ad negotium intendere* — ſeu niſu, et cum contentione virium proficiſci, — Neutiquam vero adſentior doctiſſimo meo duci — Cortio, qui: „Exponendum, inquit, *infecto negotio, quo confecto redire intenderat.*“ Nam ad reditum in illa dictione omnino non reſpicitur.

Vtica. Suspectum eſt Cortio nomen urbis, idque ab editoris manu inſertum ei videtur propter anteced. *venire jubet.*

mandata Bocchi, alterum nempe, ut Marius legatis Romam proficiſcendi veniam concederet, alterum ut induciae fierent, donec illi reverterentur.

placuere ſc. induciae.

ferocius — non ita leniter — decernunt; i. e. non adſentiuntur reliquorum mitiori ſententiae.

ignari rerum humanarum — non conſiderantes fortunae inconſtantiam, rerumque humanarum vanitatem. Cfr. Cat. C. I.

mutant legendum eſt; non: mutantur. Nam *mutare* eſt Noſtrum: *übergehen, ſich umwandeln.*

taverat: duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus cum cetera, tum maxume benignitatem et ſtudium Sullae lubens accepit. Romae legatis ejus, poſtquam erraſſe regem et Iugurthae ſcelere lapſum, deprecati ſunt, amicitiam et foedus petentibus hoc modo reſpondetur.

Senatus et populus Romanus beneficii et injuriae memor eſſe ſolet. Ceterum Bocchо, quoniam poenitet, delicti gratiam facit. Foedus et amicitia dabuntur, cum meruerit.

CAPVT CV.

[Bocchus cum Sulla de ſuis rebus colloqui cupit, cui ad regem ablegato Volux, Bocchi filius, in campis patentibus adparet. Romani ad pugnam ſe adcingunt. Fruſtra! Vis nemini infertur.]

Quis rebus cognitis, Bocchus per litteras a Mario petivit, uti Sullam ad ſe mitteret: cujus arbitratu de communibus negotiis conſuleretur. Is miſſus cum praeſidio equitum atque peditum, funditorum Balearium: praeterea ſagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris

lapſum — erraſſe, deliquiſſe.

CAP. CV. *Cujus arbitratu* — Non tamen ita, ut Quaeſtoris arbitrio totum ſe permitteret; ſed: praeſente Sulla, et pro Quiritibus deliberante.

funditorum Balearium, qui erant praeſtantiſſimi. Confr. Flor. III. 8.

cohors Peligna — Gens Peligнorum, quae a Frentanis Sagro flumine ſejuncta erat, per Ovidium, Sulmone natum, inclaruit.

cum velitaribus armis. Vt

properandi cauſſa: neque his ſecus, atque aliis armis, advorſum tela hoſtium, quod ea levia ſunt, muniti. Sed itinere, quinto denique die, Volux filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus ſeſe oſtendit: qui temere et effuſe euntes Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero, et hoſtilem metum efficiebant. Igitur ſeſe quisque expedire, arma atque tela tentare, intẽndere: timor aliquantus, ſed ſpes amplior, quippe victoribus, et advorſum eos, quos ſaepe vicerunt. Interim equites, exploratum praemiſſi, rem, uti erat, quietam nunciant.

enim dicitur: eſſe *cum* telo, ita etiam recte: *cum armis eſſe*. Velitaria arma, inquit Cortius, ſunt: quae geſtantur ab velitibus — parma tripedalis, et brevior quam equeſtris, ſeptem haſtae in manibus, quibus eminus uterentur, et gladius Hiſpanienſis. "

neque his ſecus muniti — et his aeque bene muniti.

Itinere — Omiſſa, ut ſupra Cap. XCI., praepoſitione *in*.

cum mille non amplius equitibus. — Obſervent juvenes verba interpoſita, quae idem valent quod: *tantummodo*. Senſus enim eſt: cum equitibus, quorum numerus non excedebat millenarium.

temere — ſine ordine.

numerum ampliorem vero i. e. quam verus. Scilicet equitum effuſe palantium adſpectus metum injiciebat Sullae et comitibus, ne major eſſet eorum numerus, quam erat revera.

arma atque tela — omnia pugnae inſtrumenta, ne arcu quidem excepto.

timor aliquantus ſc. eos cepit; non erant omni timore vacui.

quippe victoribus — nimirum quum paulo ante viciſſent. Reſpondet particula *quippe* noſtro: *ja*: da ſie ja erſt geſiegt hatten.

CAPVT CVI.

[Nam Volux comitem se a patre missum Romanis offert. Qui cum in itinere Iugurtham haud procul abesse cognovissent, subito metu perterritis omnibus, praeter Quaestorem, suadente Numida, noctu proficiscuntur, castrisque sub lucis ortum positis, eundo fessi, Iugurtham modico locorum intervallo a se distare audiunt, Volucem haud immerito perfidiae accusantes.]

Volux adveniens Quaestorem adpellat: *se a patre Boccho obviam illis simul, et praesidio missum.* Deinde eum et proxumum diem sine metu conjuncti eunt. Post, ubi castra locata, et die vesper erat, repente Maurus incerto voltu ad Sullam adcurrit: *sibi ex speculatoribus cognitum, Iugurtham haud procul abesse:* simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat *se toties fusum Numidam pertimescere: virtuti suorum satis credere: etiam si certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertae ac forsitan post paullo morbo interiturae vitae parceret.* Ceterum ab eodem monitus, *uti noctu proficisce-*

CAP. CVI. *Obviam — simul et praesidio* — i. e. honoris et praesidii causa.

die — diei. Eadem verba vide supra LII.

incerto vultu — qui et animum et male sibi conscium animum prodere videbatur. Bene Höckius: mit einer verlegenen Miene.

certa pestis — interitus non evitandus.

rentur, consilium adprobat; ac statim milites caenatos esse; in castris ignis quam creberrimos fieri, dein prima vigilia silentio egredi jubet. Iamque nocturno itinere fessis omnibus, Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, cum equites Mauri nunciant, *Iugurtham circiter duum millium intervallo ante consedisse.* Quod postquam auditum, tum vero ingens metus nostros invadit: credere proditos a Voluce et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

CAPVT CVII.

[Tum vero animum magnum fortemque exhibuit Sulla; nam confirmatis oratione militibus, Voluci peper-cit, et, Iugurthae obviam eundum ratus, Numidam sibi suspectum castris excedere jussit. Qui cum lacrimis obortis istam ignominiam deprecaretur, seque, si per media hostis castra ire vellent, comitem Quaestori offerret, repulsam non tulit. Ita sine ulla clade proficiscuntur.]

At Sulla, quamquam eadem aestumabat, tamen ab injuria Maurum prohibet: suos hortatur, *uti fortem animum gererent: saepe antea*

caenatos esse — i. e. coena quam celerrime facta paratos adesse. Sic Cicero: *habere leges promulgatas*; ut unum e pluribus exemplis, a Cortio citatis, adferam.

manu vindicandum — ilico morte puniendum, non exspectato judicio.

paucis ſtrenuis advorſum multitudinem bene pugnatum: quanto ſibi in praelio minus pepercisſent, tanto tutiores fore: nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hoſtis vortere. Deinde Volucem, quoniam hoſtilia faceret, maxumum Iovem obteſtatus, ut ſceleris atque perfidiae Bocchi teſtis adeſſet, caſtris abire jubet. Ille lacrumans orare, *ne ea crederet: nihil dolo factum, magis calliditate Iugurthae, cui ſpeculanti iter ſuum cognitum eſſet. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et ſpes opesque ejus ex patre ſuo penderent; illum nihil palam auſurum, cum ipſe filius teſtis adeſſet: Quare optumum factum videri, per media ejus caſtra palam transire: ſeſe, vel praemiſſis, vel ibidem relictis Mauris, ſolum cum Sulla iturum.* Ea res, ut in tali negotio, probata, ac ſtatim profecti: quia de improviſo acciderant, dubio atque haeſitante Iugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum.

Cap. CVII. *ea res, ut in tali negotio, probata* — Conſilium Volucis, quum ad praeſentem rei ſtatum accommodatiſſimum videretur, nec alia ſalutis via pateret, acceptum,

CAPVT CVIII.

[*Dabar*, *Maſſugradae* filius, ex gente *Maſiniſſae*, qui cum Aſpare, Iugurthae familiari, apud Bocchum erat, praemiſſus ad Sullam, ut placidum amicumque regis animum teſtificaretur, mandata perficit. Sed Bocchum neceſſitate coactum talia feciſſe ſuſpicatur Salluſtius.]

Ibi cum Boccho Numida quidam, Aſpar nomine, multum et familiariter agebat: praemiſſus ab Iugurtha, poſtquam Sullam accitum audierat, orator, et ſubdole ſpeculatum Bocchi conſilia: praeterea Dabar, Maſſugradae filius, ex gente Maſiniſſae, ceterum materno genere impar; pater ejus ex concubina ortus erat; Mauro ob ingenii multa bona carus acceptusque: Quem Bocchus fidum Romanis multis antea tempeſtatibus expertus, illico ad Sullam nunciatum mittit, *paratum ſeſe facere, quae populus Romanus vellet: colloquio diem, locum, tempus ipſe dilegeret: conſulta ſeſe omnia cum illo integra habere, neu Iugurthae legatum pertime-*

Cap. CVIII. *ſubdole ſpeculatum* etc. ut ſubdole exploraret.

impar, minus nobilis. Optime illuſtrat hunc locum, ne quis legendum putet: mater ejus etc, etc. doctiſſimus Cortius his Noſtri verbis, quae ſupra Cap, V. de Manaſtabale dicta ſunt: „Matres ſint licet ex concubinis ortae, nullam ibi diſſimilitudinem generis inferunt."

fidum Romanis — — expertus. Vide ſimilem locutionem in Cat. Cap. XX.

paratum ſeſe facere — paratum ſe eſſe ad faciendum.

Conſulta ſeſe o. c. i. integra habere — nihil adhuc in iis rebus, de quibus inter ſe collo-

ſceret; quo res communis licentius gereretur; nam ab inſidiis ejus aliter caveri nequiviſſe. Sed ego comperior, Bocchum magis Punica fide, quam ob quae praedicabat, ſimul Romanos

qui vellent, nec a ſe (Boccho) pro certo conſtitutum, nec a legato Iugurthae corruptum. — — Obſervent tirones 1) rem *integram* eſſe eam, quae in ſuo ſtatu, ſine ulla mutatione, permanſit; 2) res deliberandas h. l. dici *conſulta*, quaſi jam perfecta ſit deliberatio: alle mit ihm zu überlegenden Plane wären noch unverändert dieſelben.

quo res communis licentius gereretur etc. Aut ſupplendum eſt ante haec verba: illum enim admiſſum (accitum, advocatum) eſſe — aut particula *nam* e conjectura Cortii delenda, et uterque locus hunc in modum combinandus videtur; quo res communis licentius gereretur, (ab inſidiis ejus) aliter caveri nequiviſſe. — Quam conjecturam etſi vir modeſtiſſimus non receperit, veriſſimam equidem loci medelam eſſe arbitror. Eandemque ſecutus eſt *Höckius*, qui vertit: „denn er habe, wenn man die gemeinſchaftlichen Angelegenheiten ungehindert abthun wolle, ſeinen heimlichen Ränken auf keine andre Weiſe ausweichen können.

Et ſi genuina textus verba retinenda ducerem, equidem non eodem modo, quo *Cortius*, lacunam ſupplerem ſed vocem *legatum* repeterem ex antecedentibus, ut ſit: *neu pertimeſceret I. legatum, qui legatus eſſet, quo* etc. — Ceterum quaeras, quomodo Bocchus, accito Iugurthae legato, tutior ſibi ab illius inſidiis videri potuerit. Recte reſpondet Cortius: Non ita invalidus erat Iugurtha, ut non conſiliis Bocchi inſidiari potuiſſet, qui jam ſaepe proximos ejus donis corruperat, ut regem ab optimis conſiliis abſtraherent. Id effugiebat, praeſenti legato benigne omnia pollicendo.“

magis Punica fide, quam ob quae praedicabat — ſimulata magis, quam vera fide. Discant h. l. juvenes, *Atticam fidem* pro ſincera, *Puniceam* pro fucata in proverbio dictam eſſe. De Attica fide cfr. Vellej. Paterc. II. 23. Flor. II. 2. Sed Romanos, Poenorum aemulos, falſa interdum crimina his intuliſſe, nec vero ipſos fidem ſervaſſe Carthaginienſibus, quis ignoret?

et Numidam ſpe pacis adtinuiſſe, multumque cum animo ſuo voluere ſolitum, Iugurtham Romanis, an illi Sullam traderet: lubidinem advorſum nos, metum pro nobis ſuaſiſſe.

CAPVT CIX.

[Sulla, remiſſo cum reſponſis *Dabare*, ipſum regem adit, qui, interrogatus an pacem praeferret bello, decem ſibi dies deliberandi cauſa petit, poſtea vero noctu Quaeſtorem, in caſtra ſua regreſſum, clanculum arceſſit.]

Igitur Sulla: *pauca coram Aſpare locuturum; cetera occulte, aut nullo, aut quam pauciſſimis praeſentibus:* ſimul edocet, quae reſponderentur. Poſtquam, ſicuti voluerat, congreſſi, dicit: *ſe miſſum a Conſule veniſſe quaeſitum ab eo, pacem, an bellum agitaturus foret.* Tum rex, uti praeceptum, *poſt diem decimum redire* jubet; *ac nihil etiam nunc decreviſſe, ſed illo die reſponſurum.* Deinde ambo in ſua caſtra digreſſi. Sed ubi plerumque

adtinuiſſe pro uſitatiori: retinuiſſe.

Cap. CIX. *coram Aſpare*, qui *cum Dabare*, ut mihi quidem veriſimile eſt, ad Sullam miſſus erat; nam ſequentia: „ſimul edocet, quae reſponderentur," ad Dabarem refero. Sed huic loco, fateor, ſubeſt aliqua obſcuritas, propterea quod non ſatis patet, quisnam ad Sullam miſſus ſit. Nam in Cap. CVIII. verba illa: quem Bocchus etc. ad Dabarem potius quam ad Aſparem referenda eſſe mihi perſuadeo, cum non intelligam, quomodo, qui Romanis fidus fuerat, Iugurthae ſimul familiaris eſſe potuerit.

noctis proceſſit, Sulla a Boccho occulte arceſſitur: ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur: praeterea Dabar internuncius, ſanctus vir et ex ſententia ambobus. Ac ſtatim ſic rex incipit.

CAPVT CX.

[Sequitur pacifica Bocchi oratio, qua belli hactenus geſti neceſſitatem, animumque erga Romanos benevolum declarat, ſimul pollicitus, ſe neque ipſum Mulucham flumen transiturum, nec paſſurum ut Iugurtha hunc imperii terminum transgrediatur.]

Numquam ego ratus ſum fore, uti rex maxumus in hac terra, et omnium, quos novi, privato homini gratiam deberem. Et hercle, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri dolere ſolent, ego laetor: fuerit mihi eguiſſe

Cap. CX. *omnium, quos novi* — Ecce hominis ſuperbi vanitatem! Sed nota eſt illa barbarorum principum vana inſolentia, qua fit, ut etiam hodie nonnulli Afrorum tetrarchae omnium regum maximi ſibi videantur. Sed forſan potentiores ſemet ipſo non cognoverat.

ante te cognitum, antequam te cognovi.

Id imminutum etc. Quod haec aliis opitulandi opportunitas, imminutis opibus meis, ſublata eſt — id non doleo, ut ceteri ſolent, ſed laetor potius.

fuerit mihi eguiſſe etc i. e. „acciderit mihi, ut aliquando eguerim amicitiae tuae. Cfr. ſupra Cap. XXXI: Sed ſane *fuerit*, plebi ſua reſtituere“ — — — Mag ich denn wirklich in den Fall gekommen ſeyn, Deiner Freundſchaft zu bedürfen!

aliquando amicitiae tuae, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adèo experiri licet: arma, viros, pecuniam, poſtremo quidquid animo lubet, ſume, utere: et, quoad vives, numquam redditam gratiam putaveris; ſemper apud me integra erit: denique nihil, me ſciente, fruſtra voles. Nam, ut ego aeſtumo, regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitioſum. Ceterum de re publica veſtra, cujus curator huc miſſus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum umquam volui: finis meos advorſum armatos armis tutus ſum. Id omitto, quando vobis ita placet: gerite, uti voltis, cum Iugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipſam fuit, non egrediar, neque Iugurtham id intrare ſinam. Praeterea ſi quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulſus abibis.

CAPVT CXI.

[Sulla, de ſe modeſte locutus, Iugurthae traditionem, tamquam verum amicitiae documentum, flagitat. Alitamen ego Tibi gratias debebo.

experiri licet — Tibi nempe, h. e. ejus documenta licet cognoſcas.

minus flagitioſum — minus dedecet, armis vinci, quam etc.

numquam redditam gratiam putaveris ſc. a me Tibi. Semper

haud repulſus abibis — haud fores repulſam.

quamdiu cunctatus rex tandem consentit, dolumque, quo gener capiatur, cum eo componit.]

Ad ea Sulla pro se breviter et modice; de pace et de communibus rebus multis disseruit. Denique regi patefacit, *quod polliceatur, Senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam habituros: faciundum aliquid, quod illorum magis, quam sua, retulisse videretur; id adeo in promptu esse, quoniam Iugurthae copiam haberet: quem si Romanis tradidisset, fore, uti illi plurimum deberetur; amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, ultro adventuram.* Rex primo negitare: *adfinitatem, cognationem, praeterea foedus interveniss e: ad hoc metuere, ne fluxa fide usus, popularium animos avorteret; quis et Iugurtha carus, et Romani invisi erant.* De-

Cap. CXI. *pro se* — quod ad suam ipsius, hominis privati, conditionem adtinebat, breviter tantum et modeste etc.

non in gratiam habituros — suppl. sed jure belli tamquam debitum postulaturos.

retulisse — interfuisse. Dicitur enim: hoc *illorum refert* sc. commoda.

quod Iugurthae copiam etc. h. e. quod Iugurtham in potestate haberet.

ne fluxa fide usus — ne, si tam perfide ageret contra generum.

erant — Observes iterum, semper in oratione, quam dicunt indirectam, nempe si aliorum verba citantur, Conjunctivum ponendum esse.

nique saepius fatigatus, leniter et ex voluntate Sullae omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cujus Numida, defessus bello, avidissimus, quae utilia visa, constituunt. Ita, composito dolo, digrediuntur.

CAPVT CXII.

[*Aspar*, a Bocco ad Iugurtham delegatus, post diem octavum redit, atque ex praecepto sui regis postulat, ut per dolum Sulla, securitatis ergo, illi tradatur.]

At rex postero die Asparem, Iugurthae legatum adpellat: *sibi per Dabarem ex Sulla cognitum, posse conditionibus bellum poni: quamobrem regis sui sententiam exquireret.* Ille laetus in castra Iugurthae venit. Deinde ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit ad Bocchum, et ei nunciat, *Iugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere; sed Mario parum confidere: saepe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra fuisse. Ceterum si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace,*

Cap. CXII. *conditionibus* — non ex mero hostium arbitrio, sed ita, ut nonnihil utrique parti concederetur.

pacem conventam — de qua utraque pars convenerit.

si ambobus consultum etc. si et suam et Iugurthae utilitatem curare vellet.

quasi de pace — En iterum punicam fidem!

in colloquium veniretur; ibique sibi Sullam traderet. Cum talem virum in potestatem haberet, fore, uti jussu Senatus atque populi Romani foedus fieret; neque hominem nobilem, non sua ignavia, sed ob rempublicam in hostium potestate relictum iri.

CAPVT CXIII.

[Maurus, diu quid faceret incertus, tandem Iugurtham, cui Sullam se traditurum paulo ante promiserat, Quaestori prodit.]

Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit. Ceterum dolo, an vere, parum comperimus. Sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi adversae. Postea tempore et loco constituto, (in colloquium uti de pace veniretur) Bocchus Sullam modo, modo Iugurthae legatum adpellare,

neque h. n. etc. Sensus est; neque hominem nobilem in hostium potestate, in quam non sua ignavia, sed ob rempublicam venerit, relictum iri. — Sed parum accurate constructa mihi quidem haec Sallustii verba videntur. Quamvis enim infinitivus *relictum iri* continuat praecedens: *fore* — tamen in ultimo periodi membro durior est ellipsis.

Cap. CXIII. *Voluntates.* Acute observat Cortius, voluntatem interdum favorem atque benevolentiam significare, cum *velle* alicui nihil aliud sit, quam *favere*. Addit vero etiam locum e Caesaris b. Gall. depromtum, e quo patet, pluralem numerum hujus vocis usurpatum esse.

In colloquium uti de pace etc. Haec verba e cap. antecedenti repetita, et propter Ablat. absolutum ab interprete aliquo adjecta esse, diligenter observat Cortius.

benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti, ac ſpei bonae pleni. Sed nocte ea, quae proxuma fuit ante diem, colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis, ac ſtatim immutata voluntate, remotis, dicitur ſecum ipſe multa agitaviſſe, voltu corporis pariter, atque animo variùs: quae ſcilicet, tacente ipſo, occulta pectoris patefeciſſe. Tamen poſtremo Sullam arceſſiri jubet, et ex ejus ſententia Numidae inſidias tendit. Deinde, ubi dies advenit, et ei nunciatum eſt, Iugurtham haud procul abeſſe; cum paucis amicis et Quaeſtore noſtro, quaſi obvius honoris cauſſa, procedit in tumulum, facillumum viſu inſidiantibus. Eodem Numida cum plerisque neceſſariis ſuis, inermus, ut dictum, accedit; ac ſtatim, ſigno dato, undique

adhibitis amicis ſc. in conſilium. Nam *in conſilium adhibere*, et ſimpliciter: *adhibere*, idem eſt quod; *conſulere aliquem*.

Ac ſtatim — remotis. Summam animi inconſtantiam et levitatem optime paucis his verbis depinxit.

voltu corporis. Omnem corporis habitum — nempe et oris lineamenta, oculorumque nutum, et geſtus atque greſſum hac voce (*voltus*) ſignificari credo. — — Genitivum *corporis* adjeciſſe videtur, quo directius ſibi invicem corpus animusque opponerentur, quamquam et *pleonaſtice* interdum ſedes, tam lubidinum, quam indiciorum, animi adjicitur.

tacente ipſo — etiamſi ipſe veram animi ſententiam, ſeu potius animi trepidi aegritudinem et inconſtantiam, celaret.

ex ejus ſententia — ſicut ille antea poſtulaverat.

ut dictum — ut inter eos antea convenerat, ne armatus inſidiantibus ſe opponeret Iugurtha.

simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati: Iugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus.

CAPVT CXIV.

[Marius, Romanorum, qui male adversus Gallos pugnaverant, unica spes, absens iterum Consul creatur, Galliamque provinciam obtinet.]

Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris, Q. Caepione et M. Manlio, male pugnatum. Quo metu Italia omnis contremuerat. Illique et inde ad nostram memoriam Romani sic habuere: alia omnia virtuti suae prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certare. Sed postquam bellum in Numidia confectum, et Iugurtham vinctum adduci Romam nunciatum est; Marius Consul absens factus, et ei decreta

Cap. CXIV. *advorsum Gallos* — Rectius: *Germanos*, Cimbros nempe, Teutonos, Tigurinos. De Manlii Caepionisque adversa pugna vid. Flor. III. Cap. 3.

quo metu. Observent juvenes hunc loquendi modum pro: ob quam cladem metu exorto.

Illique et inde etc. Illius aevi cives et ab illo tempore ad nostram usque aetatem.

sic habuere — sibi persuaserunt, sive: pro certo statuerunt.

virtuti suae prona esse, virtuto sua facile perfici posse; seu: virtuti s. prospere cedere.

cum Gallis — suppl. autem.

absens — quod favorem civium optime declarat, cum plerique praesentes largitionibus ad Consulatum pervenire studerent, absentis autem haud facile ratio haberetur. Non possum, quin ex copiosissima Cortii penu insigne hujus rei testimonium depromam, quod est in veteri inscriptione ab illo citata:

provincia Gallia. Isque Kalendis Ianuariis magna gloria Consul triumphavit. Eā tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae.

C. MARIVS IVGVRTHAM CEPIT, ET TRIVMPHANS IN SECVNDO CONSVLATV ANTE CVRRVM SVVM DVCI IVSSIT.

e triumphis legere cupientem ad Nieuportum (p. 280. in succincta rituum Rom. explic.) relegamus. Cfr. splendida triumphi imago, a Nasone delineata 1. Amor. Eleg. VII. 35.

EMENDANDA ATQVE MVTANDA.

Pag. xv lin. 20 Pharſalica leg.
— xxx lin. 11 poſt *nato* ponatur comma.
— xxxix lin. 9 addatur
Salluſts Werke lateiniſch und teutſch von J. C. *Schlüter*, Prof. auf der Univ. zu Münſter. 1ſter Theil 1806. 8.
(Textus conjecturarum ope hinc inde emendatus eſt a Schlütero.)
Conf. Ephem. Lit. Götting. 1806. St. 113.
— 17 lin. 6 infra poſt voces *ante* et *ſuſpicione* commata ponantur.
— 21 lin. 6 in textu poſt vocem pulcherruma adde; *et optuma*.
— 27 lin. 8 in notis dextri margiuis pro: *laudibus ſunt* legas: *non ſunt*.
— 37 *privignum* mutes in *filium*.
— 40 lin. 4 in not. ſiniſtri marginis poſt *Catilinae* ſcribas filium.
— 41 lin. 8 in not. marg. dextri pro *edocuit* rectius ſupplemus Salluſtianum; *imperabat*.
— 56 lin. 16 in not. marg. dext. vox *cum* deleatur.
— 61 lin. 15 in not. m. ſ. *ferrentur* leg. pro *ferentur*.
— 77 lin. 9 in not. m. ſ. *feſtinationem* pro *feſtinantiam*.
— 81 prima notula ſ. m. deleatur, vel poſt *ut* addatur *etiam*.
— 83 lin. 3 in not. m. ſ. tabulis legatur.
— 86 lin 20 in not. m. ſ. ſoleant pro *ſolent*.
— 87 lin. 5 in not. m. ſ. deflectit.
— 89 lin. ultima *hoc* pro *haec*.
— 91 lin. 2 *debellaſſet* pro *debellaverat*.
— 97 lin. 8 in not. *fuiſſe* pro *eſſe*.
— 104 lin. 7 *magiſtratu*.
— 106 lin. 16 mallem muniis mutaſſet Nieup. in *muneribus*.
— 160 l. 6 Nam pro nam.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Sallustius Crispus, Gaius,

C. Crispi Sallustii opera exceptis fragmentis omnia

Bd.: 2

Lipsiae 1812
A.lat.b. 1620 a-1/2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10246314-0